


# Codex de delictis

H O M M A G E

OFFERT

A U X M E M B R E S

DE L'UNION INTERNATIONALE DE DROIT PÉNAL.



IMPRIMERIE »ATHENAEUM«

BUDAPEST.



Copyright © 2000 by the National Geographic Society

L'Académie Hongroise des Sciences décida, il y a quelques années, de recueillir et d'éditer les anciens projets de loi et les débats législatifs qui ont précédé la codification du droit pénal en Hongrie, et de mettre ainsi en relief la marche que les idées relatives au droit pénal ont suivie dans ce pays.

Parmi ces projets de loi une place d'honneur revient à celui qui a été rédigé en 1792. Le travail est frappé au coin de cette époque des grandes luttes de l'esprit humain; il s'engage résolument dans les voies que le droit pénal aura suivies en Europe au commencement du siècle qui allait naître.

Cet ouvrage ne connaît la peine de mort que pour six cas spécifiés de crimes; encore enjoint-il au juge de n'appliquer cette peine que si l'un de ces cas se présente accompagné des circonstances les plus aggravantes. Il abolit presque complètement le minimum de la peine privative de liberté et en fixe le maximum à 12 ans. Il supprime la peine de liberté à perpétuité, et, dans la mesure du possible, les suites infamantes des peines.

Ce projet de loi a donné, en Hongrie, une vigoureuse impulsion à ce mouvement des esprits qui aboutit, en 1843, à la rédaction d'un projet de code pénal, qui abolit la peine capitale, le minimum de la peine privative de liberté et les suites infamantes des peines infligées.

Ce sont là les germes dont la poussée a produit le code pénal hongrois de 1878, qui accuse bien la précaution requise dans les transitions, mais qui s'inspire, en général, du but visé dans ses devanciers restés à l'état de projet.

Il est certain que les trois documents sont basés sur les mêmes principes, dont l'esprit et la tendance se trouvent marqués dans celui qui remonte à 107 ans.

La *Revue Pénitentiaire*, l'organe de la *Société Générale des Prisons* de Paris, l'a apprécié (fascicule de décembre 1897) dans les termes suivants :

»Ce document, pour être vieux d'un siècle, n'en suggère pas moins d'utiles rapprochements entre la science criminelle de cette époque et le droit pénal moderne. Le projet est précédé d'une sorte d'introduction où sont exposés en fort bons termes les principes philosophiques qui doivent servir de base à toute législation criminelle. Il serait malheureusement trop long de l'analyser ici en entier et nous devons nous contenter de renvoyer au texte ceux des lecteurs de la Revue qui seraient tentés de comparer aux doctrines des criminalistes contemporains les théories en honneur au siècle dernier. Ils seront surpris de trouver dans ce monument législatif d'un autre âge des idées d'humanité et de justice dont notre époque aurait tort de revendiquer le monopole. Qui, de nos jours, en effet, renierait ce principe que le juge doit toujours se souvenir que la perfection absolue n'est point de ce monde et que le criminel traduit à sa barre est à la fois son concitoyen et son semblable? Il est vraiment curieux de suivre, dans le texte du projet, les déductions tirées de ces principes et les conséquences qui en résultent au point de vue de l'application des peines. Le projet de 1792 ne put être voté en raison des graves évènements politiques qui, en Hongrie comme dans tout le reste de l'Europe, marquèrent la fin du siècle dernier. On

ne peut que regretter qu'il n'ait point abouti, car il n'eût pas manqué sans doute d'influer très heureusement sur le développement de la législation criminelle de l'Europe au commencement de ce siècle.»

Le soussigné, qui a eu l'honneur d'être chargé par l'Académie Hongroise des Sciences de rédiger le *Recueil des Documents Historiques du Droit Pénal Hongrois*, croit remplir un devoir, en offrant aux criminalistes étrangers, qui seront les hôtes de la Hongrie, une édition du projet de 1792, *in extenso*, dans le texte original latin, qui était la langue officielle de la législation hongroise de ce temps.

En étudiant ce monument de l'histoire du droit hongrois, les champions de la réforme du droit pénal arriveront — croyons-nous — à la conviction que leur Congrès de 1899 se réunit dans un pays, qui n'a point été le dernier à épouser leurs belles et nobles aspirations.

*Dr. Ladislav Fayer*

professeur du droit pénal à l'Université  
de Budapest.



Bs  
m. 1.

2442

L CODIX  
DE  
DELICTIS EORUMQUE POENIS  
PRO  
TRIBUNALIBUS REGNI HUNGARIAE,  
PARTIUMQUE EIDEM ADNEXARUM,  
PER  
REGNICOLAREM  
JURIDICAM DEPUTATIONEM  
ELABORATUS  
1791—2.



## PRAEFATIO.

Codicis Criminalis elaboratione per Comitiorum anni 1791. art. 67. Deputationi concredita; posteaquam eadem munere suo rite defungi cupiens, manum operi admovisset, praepremis ad Leges Patrias, praehabituque hactenus usum intentos semper oculos habuit. Cum tamen poenales quoque leges, prout alia omnia, mutationibus sint obnoxiae, moribusque, ac temporum vicissitudinibus accomodari debeant, in totius operis hujus pertractatione, modernae Societatis Civilis, singulorumve ejusdem Civium securitatem, pro objecto in genere sibi praestituit.

Opus ipsum in duas partes dispertitur:

Parte 1-ma formam proceduræ cum delinquentibus pertractando, in vel maxime intendebat, ut certa delinquentibus poena, innocentibus vero tutum semper Legum Praesidium praesto sit.

Parte 2-da speciatim de delictis poenisque agitur. Et quia civilis securitas in publicam, et privatam subdividitur, atque utramque hanc, delicta quaeprimam directe, alia indirecte impetunt; primum illa, quae securitati publicae, adeoque Potestati sive legislative, sive executive, dein autem quae securitati privatae adversantur, adeoque sub protectione publici existentem Civium vitam, corporisque incolumitatem, honorem, mores, bonaque et Facultates afficiunt, pertractantur. Ad veram demum libertatem, securitatemque Civilem cum id potissimum pertineat, ut Judicis arbitrium certis, notisque cuilibet civium limitibus circumscribatur, stabilitis, principis, quibus singuli delicti, poenaeque gradus, eorundemque inter se proportio, ac imputatio innitur, in articulo quolibet tam delictum ipsum, quam legalis ejusdem poena definitur, quaeve exinde profluunt, recensentur.

## PRINCIPIA.

### I.

Cum delictum sit violatio libera legis poenalis, poena malum cui delinquens e legis dispositione subjjcitur, lex autem non alias actiones poenae subjjcere possit, quam quibus civilis societatis securitas laeditur, ex ipsa delicti, poenaeque indole consequitur: cogitationes pro delictis haberi nequire, ac legis transgressionem in tantum unice pro delicto haberi posse, in quantum mediate vel immediate libere fit; neque delictum esse, ubi libertas voluntatis defuerit; neque libertatem actionis ibi esse posse, ubi penitus ignoratur, quod agitur.

Hinc licet quidem ignorantia Juris neminem excuset in genere, quia tamen facti, adeoque et legis positivae ignorantia, saepe est invincibilis, Judicis erit dispicere: an non subinde, praesertim apud rudiores, invincibilis subversetur ignorantia.

Nec cives solum ejusdem Reipublicae, sed et extranei in territorio illius commorantes, et Jure immunitatis non gaudentes, actiones suas legibus prohibentibus conformare obligantur. Hi sane super delictis intra Regnum commissis Jure conventi, secundum leges Hungaricas judicandi sunt. Atque in illo unice casu, dum de delicto alibi commisso extraneus in Judicium accerseretur, reflexio ad leges extraneas, si eadem Hungaricis mitiores fuerint, habebitur; Hungarus vero de delicto etiam apud extraneos, et contra extraneum commisso, in Hungaria juxta leges Hungaricas, si eadem extraneis itidem mitiores fuerint, judicabitur.

## II.

Hoc e fonte delictorum imputatio, sive actionis delinquenti attributio profluit. Nemini enim actio quaequam attribui poterit, nisi et libere egerit, et quid ageret, intellexerit, aut saltem intelligere potuerit. Imputationem igitur non modo merus casus, et absoluta coactio, sed et error, atque invincibilis ignorantia impedit. Quove major fuerit in actibus lege expressis delinquentis libertas, et intelligentia, eo major esse debet delicti imputatio. Hinc etiam electio inter duo mala poenalis esse nequit, nisi notabilis intercedat improprio. Sic electio homicidii ad carcerum squallores evitandos, ob notabilem improprio poenalis erit.

## III.

In genere quidem societatis civilis securitas legum omnium objectum, salusque publica, lex suprema est; e diversis autem legibus quo majorem aliqua ad societatis securitatem influxum habet, eo gravius ejusdem violatione delictum committitur.

Nec tamen delicti gravitas a solo damni exinde in rempublicam redundantis pondere aestimari poterit. Delinquentis etiam culpa, vel malitia in considerationem venire, ex hacque concludi debet: an non pro futuro etiam Respublica plus damni ab eodem metuendum habeat? consequenter: an non majori adversus hunc, quam adversus alium, ejusdem licet legis transgressorem, cautela indigeat?

Damnum e delicto in Rempublicam redundans, delicti quantitas, culpa vero, aut malitia delinquentis, delicti qualitas compellatur. Atque ita delicti gravitas, ex ejusdem quantitate, qualitati conjuncta, aestimanda erit. Delicti quantitatem legislator determinat; verum delicti qualitas fere in casu quolibet diversa est. In hac, culpa a malitia, item diversi culpa, vel malitiae gradus abinvicem distinguuntur; suaque gradibus singulis distincta poena, reflexe etiam ad majus, minusve societatis damnum adsignabitur, secus debita delictum ac poenam inter proportio, observari vix poterit, omnisque delicti imputatio, ac poenarum proportio, a Judicis solum arbitrio dependebit.

Culpa est: dum effectus praeter directam agentis intentionem evenit. Ejusdem gradus primus est, dum actus valde remotam cum effectu connexionem habet; secundus, dum e praecedenti actu effectus facile sequi poterit; tertius, dum effectus, qui evenit, facilius ex actu sequi poterat, quam qui directe intendebatur.

Malitia, sive propositum, sive dolus adest, dum id reipsa accidit, quod intenditur. Ejusdem gradus primus est, dum e passione, nimiaque animi perturbatione; secundus, dum nulla vehemens urget perturbatio, sed consulto aliquid contra legem committitur, aut per legem praeceptum omittitur; tertius, dum plura adsunt momenta, ne delictum suscipiatur, humanitatis attamen, et societatis civilis vincula pererruntur.

Ad singulos hosce, cujuslibet in specifico delicti gradus, poena quidem per codicem istum determinatur, limitesque, quos Judex praetergredi nequit, constituuntur; ob diversas attamen, casus singuli aggravantes, viantesque circumstantias, tam gradus delicti, juxta haec principia determinatio, quam etiam intermedia poenae legalis limitatio, aequanimi Judicis sententiae relinquatur.

#### IV.

Ex his etiam sequitur: actiones indifferentes, aut plane Reipublicae utiles, lege prohiberi haud posse; ac civi, quidquid absque legum, quibus se securitatis causa subiecit, laesione collubitum fuerit, agere liberum esse; neque ex actionibus, quae legibus per expressum non prohibentur, malum aliud metuendum superesse, quam quod ipsamet actus perpetratio natura sua secum fert. Pro delictis proinde actione publica vindicandis, ea solum habenda sunt, quae per praesentem codicem pro talibus declarantur.

#### V.

Distinctio etiam inter delicta consummata, et non consummata fieri debet; in iis, quae consummata non sunt, eo gravior poena dictabitur, quo propior conatus ad consummationem fuerit. Sic merus conatus mitiori poena, quam

delictum attentatum, aut inchoatum coërcebitur. Conatus in indagazione; attentatum in praeparatione; inchoatum in mediorem applicatione constituitur. Sed et illud Judici probe discernendum: an delicti consummatio spontaneo delinquentis motu, vi externa, casuve fortuito intermissa sit?

## VI.

Neque actiones alienae imputari poterunt, nisi in quantum concursus ad easdem probaretur. Ac tum etiam distinctio inter socios, complices, et conscios observabitur. Socii aequali, complices et conscii gradui culpae, aut malitiae proportionata poena punientur; atque inde sequitur: apud complices, reflexionem non solum ad principale delictum habendam semper esse, sed saepe apud principalem delinquentem malitiam, apud complices autem culpam tantummodo subversari, adeoque in delictis, in quibus de natura eorum culpa esse nequit, gradus culpae de complicibus tantummodo intelligendos venire. Si quis tamen ut delicti Autor semet a caeteris distinxerit, aut autoritate, aliisque modis ad delinquendum quospiam induxerit, graviori quam reliqui, poenae subjicietur.

Qui alterius opera ad delinquendum utitur, ejusdem in genere, ac delinquens ipsemet, poenae reus erit.

Qui vero potu, aut alia quacunque ratione ad delictum aliquod alterum pellexerit, de omnibus delicti consequentiis respondebit.

Quodsi plures perpetratorum plurium delictorum causa, societatem iniverint, licet quidem incusatus ad unicum saltem delictum effective concurrisset, attamen de reliquis etiam, quamdiu in societate perseverasse probatus fuerit, respondere obligabitur.

Tum demum receptatores pari cum principalibus delinquentibus poena adficiuntur, dum ante delictum de iis, aut rebus e delicto quaesitis occultandis, inter delinquentem, et receptatorem conventum fierit.

## VII.

Cum in omnibus delictis veritas iisdem modis exquiri debeat, media, quae in nullo casu ad veritatem eruendam apta sunt, nec in delictis atrocioribus, pro idoneis exquirendae veritatis mediis apta esse possunt.

In reliquo norma proceduræ, ac requisita defensæ media, eo accuratius in criminalibus observari debent, quo gravius legum Criminalium objectum est.

Nec sola processus defluentis norma, sed et ipsa sententiæ executio ad partem Officii Iudicis pertinet, neque unquam licentiæ plebis concedi poterit.

## VIII.

Poenæ cujuscumque finis quoad delinquentem est: ut aut idem emendetur, aut si emendari nequit, ulterior nocendi facultas ipsi adimatur. Quoad vero publicum, poenarum finis exemplum est, ut videlicet metu poenæ a delinquendo alii absterreantur. Vindicta igitur in nullo casu poenæ objectum esse potest, semperque legum sanctitatem dedecet.

Requisita vero poenarum sunt: ut poena quaelibet sit prompta, certa, et idonea; sicque exemplum ad omnes, metus ad plurimos, poena ad paucissimos extendatur. Atque exhinc consequitur, poenas in quantum fieri potest, quo celerius post commissum delictum, inque loco delicti infligendas esse.

Cavendum autem praeprimis erit: ne poena delinquentem seu sibi ipsi, seu publico inutilem efficiat, aut nova plane e poenis, delictorum occasio enascatur. Mala certe, quae fini poenarum penitus adversantur, pro poenis adhiberi nequeunt.

Quo plures in reliquo poenarum species adoptatae fuerint, eo facilius relativa e delicti quantitate, ac qualitate metienda, delicta inter, poenasque proportio observari poterit.

In genere autem praeterquam quod poena in proportionem esse debeat cum malo, quod Reipublicae per delictum illatum est, quodve eidem imminet, cum delinquente etiam proportionem illam habere debet: ut ejusdem malum sit

sufficiens ad relinquendum bonum, quod e commissione delicti delinquens sperare posset. Et ideo e delinquentis, ac delicti cujuslibet indole poena desumi debet.

## IX.

Delicta, quae facilius occultari poterunt, poena severiore castigabuntur; ut nempe metus superioris poenae eos absterreat, quos occasio, aut spes impunitatis ad delinquendum invitat. Non secus delictis, quae frequentius committi solent, superior quidem, sed non diu duratura, promteque irroganda poena statuatur.

Quorum autem publica punitio, et pro palatio, bonis moribus periculum minaretur, privatim punientur; admissis tamen delinquenti lege praescriptis defensionis mediis.

Ea demum, quorum punitio majus Reipublicae adferret detrimentum, an, et qualiter punienda sint? ante ferendam sententiam, supremi tribunalis in viationi substernentur. Porro

## X.

Eo adhuc in poenis dictandis advertendum: ut accessorie damnum etiam per delinquentem tam publico, quam privatis illatum compensetur. Ac licet poenam ultra delinquentem extendere aequitas naturalis non admittat, ad damna tamen laeso resarcienda, ac expensas Judiciales, haeredes quoque delinquentis ad vires successionis obligantur.

## XI.

Prout ad dilecta genius populi, forma regiminis, ratio educationis, modus cogitandi, aliaque tam morales, quam physicae circumstantiae influxum habent, ita in poenis quoque dictandis tam horum, quam sexus, aetatis, et conditionis ratio semper habebitur. Ac licet ob dilectum idem, cuilibet ejusdem societatis civi aequaliter gravis poena dictari debeat, cum tamen cultioribus hominibus minus malum ad emendationem sufficiat, malumque, etsi mitius, molliorem educationem nactis longe gravius accidat, eadem per

omnia poenae species, ejusdem quamvis dilecti reis, dictari haud potest; et ideo intermedia ad singulum culpae vel malitiae gradum poenae intensio, uti etiam poenarum juxta legales limites substitutio, ad obtinendam veram delictum, ac poenam inter proportionem, a sententia Judicis, singuli delinquentis, delictique circumstantiis innixa, dependebit. Caeterum

## XII.

Malum quodlibet, ipsaque mors, tanquam poena dictari potest, si medium aliud conservandae securitatis publicae, praesto non fuerit. Quodsi enim privato cuilibet, in statu defensionis, ad sui conservationem media omnia adhibere licet, id profecto Republicae, securitatis suae causa difficultari nequit. Quale autem medium ad conservandam securitatem, obtinendumque poenarum finem publicum, sive exemplum, sit necessarium, id e moribus populi, caeterisque facti circumstantiis dijudicabitur.

In mortis interim poena observandum: quod, cum mors malorum omnium postremum sit, ejusdemque exasperatio fini poenae, ac humanae cumprimis mansuetudini adversetur, mortis exasperatio, vivo delinquente nunquam adhibebitur; quin potius ad evitandos tristissimos sane humanitati casus, qui non raro ob ministrorum Justitiae sive negligentiam, sive imperitiam emergere consueverant, poena mortis, quam minime casibus obnoxia methodo desumetur. Subinde tamen, in casibus extraordinariis, cadaveris ad locum infamen expositio, dissectio, incineratio, vel supplicio adfecti divulgatio institui poterit.

## XIII.

Si delinquens diversorum delictorum reus fuerit, adque ad haec capitale etiam delictum concurrerit, sola capitalis in reum poena decernetur. Quodsi autem capitale nullum extiterit, ejusdem poena dictabitur, in quod lex severius animadvertit; ita tamen, ut poenae exasperandae causa, reliquorum etiam ratio habeatur.

## XIV.

In regula quidem Judex lege nec mitior nec severior esse potest; in casibus tamen, in quibus ipsi lex arbitrium detulerit, meminisse debet, absolutam ab hominibus perfectionem desiderari haud posse, ac delinquentem etiam Concivem, et Cohominem suum esse.

Ex his proinde quoad poenas sequentia deducuntur:

## XV.

Mortis poenam in nullo alio casu dictandam esse, quam malitia deinquentis gradum eum attingente, ut societatis civilis, singulorumve ejusdem Civium securitas, publicusque poenarum omnium finis, sive exemplum non aliter, quam morte delinquentis obtineri possit.

Ad quod etiam eo certius assequendum, mortis poena in quantum fieri poterit, semper in loco delicti, aut saltem eidem proximiori infligetur.

Modus vero poenam hanc infligendi uniformis erit, semperque gladius ratione tali adaptatus adhibebitur, ut ad mortem condemnatus quam celerime, et certissime eandem subeat.

## XVI.

Carceres pro poena dictandi alii mitiores, alii vero duriores erunt. Duriores adhibebuntur, ubi gradus malitiae delinquentis exasperationem postulaverit. Porro ad carceres condemnatis proportionati etiam, ad mentem principii 11-mi codicis istius, labores assignabuntur. Quodsi autem longiores carceres dictati fuerint, delinquentes talismodi eorsum transponentur: ubi ex ipsorum laboribus redundatura in publicum notabilis utilitas sperari poterit. Talia sunt: canalium effossio, viarum reparatio, fluviorum repurgatio, fortalitorum aedificia, aggeres, metalla, et salis fossura; praeprimis autem pro junioribus, caeterisque, quorum emendatio facilius sperari potest, domus correctoria.

## XVII.

Verbera vel publice, vel privatim irrogabuntur; privatim in iis tantummodo delictis, quae majori populi parti ignota sunt, quorumve ipsa pro palatio bonis moribus periculum minaretur. In reliquo eadem semper publice, et quo majori hominum in frequentia, sique circumstantiae admiserint, in ipso delicti loco infligentur; huncque in finem, accomodus semper in sententia qualibet locus, tempusque designabitur.

Viri baculis, foeminae scuticis cedentur; ac per eum, qui executioni praefuerit, sedulo semper attendetur: ne irreparabile delinquentis sanitati detrimentum inferatur. Eapropter ubi de viribus delinquentis dubium quodpiam suboriretur, Jurisdictionis Medicus, vel Chirurgus praevie consulendus erit: quotnam verberum ictibus ad semel sufferendis delinquentem parem esse conseat. Sed, et sub ipso executionis actu, si observatum fuerit, delinquentem dictato verberum numero sufferendo, absque jactura valetudinis imparem esse, id ipsum pro faciendis dispositionibus congruis, procedenti Judicio insinuabitur.

In reliquo, centum baculorum, vel scuticarum ictibus per partes infligendis, annuo carceri aequiparatis, proportio eadem ubique observabitur, quum loco verberum carceres, aut vero loco carcerum verbera substitui poterunt. Atque in hac quoque substitutione reflexio semper ad principiorum paragraphum undecimum habebitur, neque honoratiores verberibus subjicientur. Pro honoratioribus autem omnes in publico quopiam munere constituti Nobiles item, ac Cives in actuali Jurium suorum usu existentes, ac his etiam communi hominum existimatione aequiparati reputabuntur. Pro circumstantiarum tamen diversitate, loco etiam poenae carcerum unius mensis, 25 baculorum, vel scuticarum ictus dictari poterunt.

## XVIII.

Publica delinquentis divulgatio locum habebit, ubi semet delinquens sententiae Judicii subtraxerit, aut alias etiam, quandocumque Judex Superior id ex usu publici

futurum censuerit: ut inflicta delinquenti poena toti publico innotescat.

### XIX.

Expositio ad infamen columnam cum delicti inscriptione, praeprimis in delictis ad morum corruptelam tendentibus, caeterisque talibus, adinstar exasperationis poenae, reflexe tamen ad principium nonum adhibebitur, in quibus publici interest, delictum, et delinquentes quo magis contentos, atque abominabiles effici.

### XX.

Palinodia, seu publica deprecatio, dictorumque, ac scriptorum retractatio, in libellis famosis, caeterisque honori Civium, et praesertim Magistratualium injuriosis delictis obtinebit.

### XXI.

Infamia delictis talismodi adjicietur, quae abjecti animi indicium, turpitudinem, fallaciam, aut etiam ordini, ac decori publico derogamen in se continent; ac nisi infamia sententia mediante per expressum imposita fuerit, nulla poena, multo minus accusatio publica infamiam irrogabit.

### XXII.

Relegatio e Regno nonnisi contra extraneos, contra intraneos autem nonnisi in casu peculiari lege designando pronuntiabitur. Relegatio autem e certo loco, uti etiam domicilii ad certum locum defixio, delinquentibus talibus dictabitur, quorum in loco prioris habitationis permansio, incolis ejusdem loci periculosa esse, aut vero delinquentium etiam emendatio facilius alibi sperari poterit.

### XXIII.

Mulctae pecuniariae delincente sententiam morte praeveniente, et alioquin in lucrum Judicis nunquam cessurae, in genere quidem loco poenae dictari haud possunt, ubi tamen locum habere queant. in specifico ad delictum

singulum determinabitur; uti etiam, quandonam apud honoratiores singulae diei carceres, Mulcta, aequanimi Iudicis sententia facultatibus delinquentis adtemperanda, redimi possint, id quoque speciatim exprimetur. Quodsi vero facultatibus delinquens caruerit, eadem nunquam dictari poterunt; proinde hoc in causa, loco singuli floreni, carcer unius diei, vel substituenda juxta principium 17-mum verbera dictabuntur.

Ubi porro damni resarcitio, sive detrimenti corporis, sive laesi honoris compensatio, sive occisi viduae, et prolium indemnisatio, aut qualiscunque demum bonificatio subversatur, tam ad delinquentis facultates, quam ad damnificati conditionem advertetur.

Quodsi demum delinquens ob facultatum defectum, damnum resarcire non potuerit, idem jus damnificato competet, quod leges creditori contra debitorem tribuunt.

---

PARS PRIMA  
DE  
FORMA PROCEDURE.

---

ARTICULUS I.

*De iis, quae capturam praecedunt.*

§. 1. Ad officium boni Civis pertinet, cujuscunque status, aut conditionis ille fuerit, delictum debite sibi cognitum seu jam perpetratum, seu perpetrandum Superioritati indicare. Qui id intermiserit, neglectus illius, pro ratione majoris publicum, vel privatos tangentis damni, aut periculi, non indicantis item gravioris culpae, aut malitiae, quibusnam in casibus ad actionem publicam pertinebit? parte 2-da Codicis hujus recensebitur.

§. 2. Eximuntur tamen ab hac obligatione denunciandi delicti jam perpetrati, Consanguinei auctoris in linea ascendenti, et descendenti, conjuges, collaterales usque 2-dum consanguineitatis, et affinitatis gradum ob reverentiam, nexum, et amorem naturalem, quibus sibi juncti sunt; Criminibus parte 2-da Codicis hujus articulo 1-mo designatis exceptis, a quorum indicandorum obligatione Consanguinei duntaxat in ascendenti, et descendenti linea, atque Conjuges eximuntur.

§. 3. Denunciator vero semper nomen, conditionem item, et domicilium suum edere teneatur; neque ullae unquam etiam in gravissimis Criminibus, ad praecavendas Regnicolarum vexas, delationes sub anonymo per Judicem recipiendae. Jurisdictio tamen debet nomen denunciantis, si quidem id petierit, secreto tenere, sed accusato nominandus

erit; quam primum delicti postulatus nomen illius prodi petierit, vel ubi etiam non petente incusato, Judex ex circumstantiis perspexerit: quod delatus non possit defensionem suam alias, quam prodito delatoris nomine, adornare; ut taliter incusatus, si quas contra denunciante[m] habet exceptiones, mox obmoveat, et ut in casum iniquae delationis laeso condigna satisfactio praestari possit.

§. 4. Obligatio porro detegendorum delictorum principaliter incumbet Jurisdictionibus, ac quibusvis Magistratualibus, qui si fundata cujuscumque delicti, sanctione hac designandi indicia compererint, non solum fundatam investigationem actutum paragere, eamque, quam circumstantiae exigunt, provisionem facere obligabuntur, sed insuper domorum quarumvis in Jurisdictione sua sitarum (praemissa tamen erga Ecclesiasticos, ac Nobiles, aliosque honestioris conditionis Cives, et inhabitatores, officiosa requisitione, et in casum renitentiae, infra articulo 2-do designanda provisione) si sufficientia occultorum delictorum, aut occultati corporis delicti, vel malefactoris indicia adsint, pervestigatio eisdem libera erit.

§. 5. Ubi vero verosimilis rumor de turba malefactorum inter limites eorum Jurisdictionis se detinentium increbresceret, si saepius Crimina patrarentur, quin eorum auctores intercipi valeant, si viae publicae minus securae essent, si innotesceret delinquentem semet intra limites detinere, quin locus mansionis ejus sciatur, tunc generalem processum, aut districtum sui pervestigationem instituent ita: ut suspectae domus, campi, viae, et sylvae expetita etiam, pro re nata, militari assistentia, vigiliis cingantur, omnisque recessus eo modo perquiratur: ut delitescens in eo malefactor interceptionem sui non facile evitare possit. Non secus etiam vicinis Jurisdictionibus notitiam hujus secreto dabunt, quo et hae sua ex parte vigilant, congruaque ad elabi nitentem malefactorem, intercipiendum disponant. In pervestigatione vero talium malefactorum, et persecutione, omnes sub designanda parte 2-da poena, eisdem debitam assistentiam praestare tenebuntur.

## ARTICULUS II.

*De Captura, et ejusdem Impedimentis.*

§. 1. Delicti publici insimulatos detinere, detinerique facere, incumbet quidem quibusvis Magistratibus publicis, et localibus, horumque subalternis; Dominia vero terrestria non modo ad perquisitionem, sed et comprehensionem talium, facta sibi insinuatione, omnem necessariam possibilem assistentiam praestare obligabuntur. Cum tamen contra veram libertatem, securitatemque civilem sit: ut quis sine fundamento libertate sua naturali privetur, captura non alias habebit locum, nisi ubi quis; aut delictum per se commissum ipse confiteretur, aut in flagranti deprehensus esset; vel vero probabilis, et circumstantialis de patrato per eundem delicto denunciatio praecessisset, aut repertum corpus delicti, fundataque delicti indicia eum delicti autorem indigitarent.

§. 2. Vagi tamen passualibus destituti, vel iisdem abutendes, aut quorum comprehensio, vel descriptio personae publicata habebitur, non habitis etiam praeviis indiciis ad suspicionem, et praesumptionem etiam confestim capientur.

§. 3. Ita et cujuscunque conditionis, aut status sufficienti etiam fundo, aut possessorio provisae personae, in flagranti vel loco delicti, aut persecutione ex ipso actu, et loco delicti patrati inchoata, et absque interruptione continuata, in Delictis Codicis hujus parte 2-da articulis 1. 2. 3. 4. 5. 8. 10. 13. 14. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 27. 28. 29. 32. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 43. designatis, prout et in casibus gravioris verberationis, et vulnerationis, ac alterius etiam delicti, si illud cum aliquo ex praespecificatis connexum foret, per quoscunque comprehenduntur. Pro qualibus in flagranti delicto deprehensis, possessionati quamvis fuerint, Officialis Cassarum publicarum, aut privatarum etiam, reputandi venient, qui per visitationem cassae, vel secus, eandem contrectasse comperirentur.

§. 4. Extra locum delicti vero Ecclesiasticae, et Nobiles possessionatae, aut fundo sufficienti provisae personae, nonnisi in manifestis Criminibus notae infidelitatis, alii vero delicto-

rum parte 2-da Codicis hujus designandorum insimulati, sive illi Ecclesiastici, et Nobiles praeter domicilium vix aliquid habentes, sive alterius conditionis homines fuerint, non nisi illi extra locum delicti in persona detinebuntur, quoad quos metus profugii, sive ex ratione gravitatis delicti illudque mansurae poenae, sive ex defectu substantiae, aut sufficientis Fidejussionis subversabitur.

§. 5. Ne autem sub spe refugii confidentius delicta committantur, Jus Asyli prioribus temporibus usurpatum, et jam alioquin extra usum positum, velut Justitiae impedimentum, nullo unquam in casu habebit locum; sed tam Ecclesiastici, quam Nobiles, quosvis delicti insimulatos, ad Ecclesias, Parochias, vel alia religiosa loca, aut Curias Nobilitares confugientes, erga repetitionem Magistratualis, sub onere responsionis eosdem mansuro, et poena in contravenientes designanda, actutum extradare obligabuntur.

§. 6. In casum renitentiae, localis Jurisdictionio omnem requisitam cautelam adhibebit: ne delitescens interea effugiat. Casum vero renitentiae instantanee proximo districtuali magistratuali insinuabit, qui praemissa iterum officiosa requisitione, si delicti insimulatum e loco refugii ultro extradare nollent, eundem servata, in quantum possibile est, omni moderatione, autoritate publica inde eximet, relationemque superinde eminentiori Magistratui faciet.

§. 7. In detentione incusati, ne evadat, omni cum praecautioe procedendum erit; quin pro re nata, duriora etiam media adhiberi poterunt. Detinendus vero sine renitentia obsequi tenebitur, alioquin ferente necessitate, ingratis etiam mediis, cum detrimento quoque corporis, ac in gravioribus, ipsius vitae discrimine, ad id eundem cogere licitum est.

§. 8. Quodsi tamen delicti insimulatum quaqua ratione effugere, neque in ipsa persecutione comprehendi posse contigerit, tali in casu Magistratus locales, vel Dominia terrestria, casum proximo magistratuali districtuali sine mora indicabunt, qui actutum non tantum de ulteriori nefors profugi persecutione opportuna disponet, sed vicinis etiam Jurisdictionibus, penes descriptionem personae, profu-

gium ejus indicabit, quae pariter sine mora perquisitionem ejus, et currentationem peragere obligabuntur. Id ipsum in delictis capitalibus, vel graviolem poenam post se trahentibus, Magistratualis competenti Jurisdictioni eum in finem referendum habebit, quo profugus non solum per gremium totius Comitatus, aut districtus perquiratur, sed Consilio etiam Regio Locumtenentiali personalis profugi descriptio, fine debitae currentationis submittatur.

§. 9. Res porro apud comprehensum occasione capturae repertae, abrogatis hoc in passu sancitis Regni legibus, non incaptivanti cedunt, sed si propriae comprehensi fuerint, nisi resarcitio illati damni harum quoque sequestrationem exigat, custodiae eorum, ad quos de Jure pertinent, consignabuntur; si vero alienae comperientur, sequestrandae, et suo tempore, vel etiam proprietate sufficienter probata, praevia consignatione, et aestimatione, etiam in instanti proprietariis restituendae, vel juxta provisionem ab intra articulo 17-mo Codicis hujus faciendum, fundo Jurisdictionis comprehensum judicaturae addicendae venient.

### ARTICULUS III.

#### *De obligatione localis Jurisdictionis, occasione capturae.*

§. 1. Ut primum localis Jurisdictio delictum quodpiam detexerit, aut eidem sive per alium, sive per ipsumet delinquentem detectum fuerit, obligabitur continuo ad cognitionem qualitatis ejusdem procedere; sive in omni casu, quo delictum ejus generis est, sui ut vestigia relinquat (nisi haec jam submota, vel abolita fuissent) investigatio ejus, citra excipiendum tamen a quocunque juramentum in loco delicti, et quidem, ubi hujus vestigia prostant, suscipi, ac si in loco, scripturae gnarus reperiatur, notio, sive species facti ad scriptum apponi debet.

§. 2. Cum autem corpus delicti sit argumentum commissi delicti, ante omnia in corpus delicti inquirendum; ac ubi factum permanens est, ut in homicidiis, interemptorum, vel subitaneae mortuorum, vel eorum, de quorum violenta morte suspicio subest, corpora, ante revisionem sine

licentia superioris Magistratualis non sepelienda, imo, ubi circumstantiae admiserint, nec loco movenda sunt; sed si superior Magistratualis in propinquo degat, huic pro instituenda revisione insinuatio facienda, secus vero in casibus, ubi superior Magistratualis, aut longius degeret, aut adesse non posset, vel qualitercunque revisio moram non pateretur, corpus delicti, citra moram accersito Medico, cum probatis duobus, vel uno Chirurgo, vel si nec Medicus, nec duo Chirurgi haberi possent, per unum probatum Chirurgum, revidendum, vel hoc etiam haberi nequeunte, per districtualem magistratualem, aut locales Judices, rationem non vocati, vel non comparentis pro instituendo viso reperto Medici, vel Chirurgi in relatione sua semper reddituros, oculariter inspiciendum, prout instrumenta etiam mortifera, resve furto sublatae, aut aliae cum patrato Crimine nexum habentes, si haberi poterunt, rite perlustrandae et sequestrandae sunt. In infanticidiis autem etiam parientis, vel suspectae personae corporis, per obstetricatorem Chirurgum, vel hoc haberi nequeunte, per duas, aut in defectu duarum, per unam obstetricem, revisio quo ocyus peragetur.

§. 3. Ad visum repertum rite conficiendum, sectionemque legitime peragendam, quae requirantur, instructio Medicis, Chirurgis, et Obstetricibus Jurisdictionum data, et Codici huic ad calcem subnexa perhibet. Unde si corpus revidendum interea, donec Medicus, aut Chirurgi accersiti advenerint, loco moveri deberet, vel his haberi nequeuntibus, revisio per localem Jurisdictionem, aut districtualem Magistratualem suscipienda foret, hi ea omnia observanda habebunt, quaecumque tantum ex provocata instructione observare, et relate ad vires, captum, possibilitatemque suam in effectum deducere potuerint. Peractum autem legaliter visum repertum qua ratione ad gradum probae legalis elevandum sit? uberius articulo 10-mo circumscribetur, ubi de probationibus in genere, et specie agetur.

§. 4. In dilectis porro violentam, aut dolosam damnificationem importantibus, in quantum eandem ex apparentibus patrati delicti vestigiis, aut testium fassionibus eruere

licet, non tantum qualitas adhibitae vis, aut doli, et hinc enati damni objectum, sed etiam valor ejus cognoscendus, una vero rite investigandum est: num delictum, quod in quaestione est, solius delinquentis viribus patrari potuerit? vel quo auxilio ad id perficiendum necessario opus fuerit?

§. 5. Damnificatus porro super sequentibus constituendus erit: in quonam damnificatio ipsius consistat? et quantum in valore efferat? qua ratione, et per quem damnificatio eidem illata sit? subnexa ipsorum investigantium, accersitis, si necessum fuerit, etiam artis peritis, aestimatione.

§. 6. His habitis, Jurisdictio localis totam speciem facti, si in scriptum redacta fuerit, per investigantes subsignandam, ad proximum districtualem magistratualem, vel etiam ad eminentiorem politicam Jurisdictionem (prout nempe haec, vel ille propinquior locali Jurisdictioni fuerit) transmittet; vel si localis notio facti in scriptum redigi nequivisset, medio duorum loci Juratorum facti cognitionem habentium, casum insinuabit, ac una ipsum etiam delicti insimulatum, si nempe e classe eorum fuerit, quorum captura supra articulo 2-do admissa est, sub securo custodia eorsum deduci faciet, ac cum omnibus documentis, et instrumentis ad dilucidationem facti deservientibus resignabit.

#### ARTICULUS IV.

*De obligatione Individui e Magistratu, cui Incusatus resignatur.*

§. 1. Adducto incusato, vel secus delicto quopiam, ad notitiam individui de Magistratu per localem Jurisdictionem delato, ejusdem muneris erit, speciem facti a resignantibus exigere, vel ea non habita, auditis facti cognitionem habentibus, illam in scriptum redigere.

§. 2. Dein ab incusato, si adductus fuerit, sepositis omnibus aliis negotiis suis, mox excipiet extrajudiciale examen, circumstantiis patrati, aut delati delicti accomodandum, confrontatione etiam ejusdem cum damnificatis, et testibus, qui praesto haberi poterunt, instituta.

§. 3. His habitis, proxima obligatio erit Magistratua-

lis personae disquirere: an legales rationes supra articulo 2-do designatae, vel fundata indicia ad capturam statuti adfuerint? et an statutus cadat in classem illorum, quorum captura supra citato articulo admissa est; denique, an circa localem investigationem, factique cognitionem, ea omnia rite observata sint, quae immediate praecedenti articulo praescribuntur?

§. 4. Si statutus sive e classe eorum non foret, quorum captura praecitato articulo admissa est, sive legales rationes, vel fundata indicia pro detentione ejusdem non adessent, (praehabita caeteroquin hoc in casu delicti, de quo statutus incusatur, ejusque qualitatis debita investigatione) eundem dimittet, relationemque superinde eminentiori Magistratui faciet.

§. 5. Si localem investigationem, factique cognitionem, vel intermissam, vel iis, quae articulo 3-tio praescribuntur, minus observatis, peractam viderit, vel quaepiam adhuc ad elucubrationem facti, ejusque qualitatis, restarent, proxima obligatio manebit Magistratualem circa supplendam, vel peragendam, sive per se, sive medio Juratorum loci, si capaces, et disinteressati fuerint, de quaestionato facto fundatam investigationem, omnesque possibiles pro, et contra probas enucleandas. Unde, si non peracto viso reperto cadaver jam sepultum foret, exhumationem ejusdem, si usui adhuc esse posset, in hunc finem ordinabit; ad eum denique statum se ponet: ut ei omnes, quae factum comitantur, ac pro majori ejus pondere, vel alleviamine deserviunt. circumstantias, complices, et participes investigare, et cognoscere liceat.

§. 6. E quibus, si statutum fundatis indiciis gravari, aut legales rationes pro ejusdem captura adesse viderit, simulque statutus e classe eorum fuerit, quorum captura articulo 2-do admissa est, statutum pro ratione conditionis suae, semper cum plena securitate, ad eminentiorem se politicum Magistratum promovebit, eique cum specie facti, extrajudiciali statuti examine, aliisque cohaerentibus actis, instrumentis, rebusque aliis, cum quaestionato crimine nexum habentibus resignabit.

§. 7. Una vero, si detectum delictum extra limites

Jurisdictionis suae commissum fuisset, aut testes in alia Jurisdictione degerent, neque constitui commode quirent, aut quidpiam ad elucubrandum factum aliunde superaddi posse observaret, id ipsum praenotato eminentiori politico Magistratui, fine suscipiendae eatenus investigationis, continuo notitiae dare debet.

#### ARTICULUS V.

##### *De obligatione politicae Jurisdictionis, cui Interceptus resignatur.*

§. 1. Si interceptus Jurisdictioni politicae, velut proximiore, per localem Jurisdictionem resignatus fuerit, politica Jurisdictio ea omnia observanda habebit, quae immediate praecedenti articulo §§. 1. 2. 3. et 4. praescribuntur; eo quoad §. 5. modificato: quod si localem investigationem, factique cognitionem vel intermissam, vel iis, quae articulo 3-tio praescribuntur, minus observatis peractam, aut quaequam adhuc ad elucubrationem facti restare viderit, de quaestionato facto investigationem, vel ejus supplementum, non ipsamet Jurisdictio politica peraget, sed illi subalterno individuo e Magistratu, aut locali Jurisdictioni, si haec capax, et disinteressata fuerit, peragendam, aut supplendam committet, cui illius effectuationem tutius, commodiusque concredi posse censuerit.

§. 2. Si vero interceptus Jurisdictioni politicae per individuum e Magistratu praecedenti articulo designatum resignaretur, ejus factum, relationemque politica Jurisdictio supppervidebit; et si vel ea, quae praecedentibus articulis circa facti cognitionem, investigationemque praescribuntur, per praenotatum individuum praetermissa; vel minus observata, vel iis observatis, incusatum fundatis indiciis non gravatum, aut talem, qui in statu libertatis juxta articulum 2 dum sese defendere poterat, captum, politicaeque Jurisdictioni resignatum, vel e contra fundatis indiciis gravatum, talemque, qui detineri debebat, dimissum fuisse observaverit, ea incunctanter ordinabit, quae ad plenam facti cognitionem, resignati civilem libertatem, aut vero conservandam

securitatem publicam, quam maxime opportuna esse judicaverit.

§. 3. Non secus, si juxta §. 7. praecedentis articuli, e relatione praedesignati individui, aut localis Jurisdictionis viderit, detectum delictum extra limites Jurisdictionis suae commissum, aut testes in alia Jurisdictione degere, aut quidpiam in elucubrandum factum aliunde superaddi posse: immediate correspondentias cum aliis Jurisdictionibus fovebit, quibus vel delictum elici, manifestumque reddi, vel pro re nata incusatus alteri Jurisdictioni tradi possit, ubi faciliori, leviorique sumtuum, testium, et temporis impendio, praetensum delictum, ejusque qualitas elucubrari queat.

§. 4. Quodsi autem cuncta observanda rite servata, et indicia contra incusatum allata, ad gradum talis probae elevata esse viderit, quae pro intentanda ei actione publica sufficiunt, incusatum Judicio judicandum tradet cum omnibus documentis, et probis, quae ad plenam possibilem facti elubrationem, intentandamque resignato actionem desiderabuntur, ita: ut Judicium, conquisitione probarum amplius non occupetur; cum ad ejus officium regulariter nihil aliud, quam praehabitas, sibi per fiscum actorem cum actione exhibendas probas authenticare, confrontare, vel si has inadaequatas, uberioresque e circumstantiis elici posse compererit, ad earum medio politicae Jurisdictionis suppeditandarum productionem actorem fiscum inviare, ex plene denique exhaustis probationibus, earumque adminiculis, Judicium ferre, pertineat.

§. 5. Jure etiam Regio, Comitibus item Palatini, et Locumtenentis Regii, quoad concedendum, de delicto quopiam insimulatis, salvum conductum ita in salvo permanente: ut literae salvi conductus non secus, quam habita de casu, a concernente Magistratu sufficienti informatione, in posterum quoque expediantur.

#### ARTICULUS VI.

*De Custodia, et modo Incusatos ante finalem Sententiam tractandi.*

§. 1. Incusatum ad arestum deductum, Castellanus, sive aresti Praefectus, sub securam custodiam recipiet cum

cohaerentibus actis, rebusque cum eo adlatis diligenter asservandis, eorumque inventario, cujus unum exemplar aresti Praefectus per se subsignandum resignantibus extradabit, alterum vero exemplar per transmittentem magistratualem, vel resignantes locales Judices subscriptum retinebit, incusatumque pervestigari faciet: ne scilicet ipsi quidpiam ex instrumentis ad effrigendum arestum idoneis, armis item, aut quacunq̄ue alia re, qua sibi vim forte inferre possit, relinquatur.

§. 2. Quodsi complices ejusdem simul adducti fuerint, eosdem, ne ullus colloqui modus eisdem relinquatur, separato quamlibet aresto includet.

§. 3. Singuli praeterea adducti nomen, cognomen, et conditionem, religionem, aetatem, locum originis, tempus inductionis ad arestum, nomen transmittentis Magistratualis, delictum, ob quod captus est, tabellae eatenus praescriptae, ipsa inductionis die inscribet.

§. 4. Arestum porro ante condemnationem, custodia esse debet, et non poena; unde tam quoad alimenta, et aliam provisionem, quam ipsam custodiam, captivi ante sententiam ita tractentur: ne valetudo illorum ulli alteri periculo, vel ipsi captivi ulli alteri malo expositi sint, quam quoad fugam eorum impediendam, personamque illorum sub secura custodia tenendam necessarium fuerit; nulla alioquin taxa in posterum pro inarestatione, vel dimissione ex aresto locum habitura.

#### ARTICULUS VII.

##### *De Judice, et Judicatu in causis publicis.*

§. 1. Potestate causas publicas cognoscendi, et iudicandi nonnisi Comitatus, liberae, et Regiae Civitates, ac Distictus privilegiati, qui constanter publicam Civilem Jurisdictionem exercent, in posterum pollebunt; eo suapte intellecto: quod nobilitari praerogativa gaudentes, nonnisi per Jurisdictionem Comitatus iudicari possint.

§. 2. Incusatus cujuscunq̄ue status, et conditionis, per

eam Jurisdictionem sibi competentem judicabitur, cui locus ille adjacet, in quo delictum patratum est. Proinde tam fugitivi alibi intercepti eidem Jurisdictioni resignandi sunt, quam et tales Judicatum praemissae Jurisdictionis subjacebunt, qui locum delicti evadentes, in alia Jurisdictione residentiam, et conformitate articuli 2-di Codicis hujus, in statu libertatis se se defendendi jus habent. Ne tamen quospiam extra lares proprios peregre abeuntes, fatali quadam apparentium circumstantiarum complicatione involvi, in absentes delictum detorqueri, sicque indigne divexari contingat, competens Jurisdictio, in cujus gremio delictum patratum est, omnes circumstantias, indicia, ac probas, quae ad excitandam contra incusatum actionem collectae sunt, cum illo competente Magistratu, in cujus gremio incusatus residet, communicabit, ad hancque accusationem incusatus respondebit. Si demum post transmissum tale responsum, Magistratus in loco patrati delicti ultro adinvenerit, incusatum gravantia illum indicia, aut probas plene non diluisse, adeoque fundamentum intentandae eidem actionis publicae omnino adesse, medio praemissae Jurisdictionis, in cujus gremio residet, incusatus ad praeattatum forum loci patrati delicti citabitur, eique adstare tenebitur. Si demum delictum in uno loco coeptum, in alio completum, vel corpus delicti in duarum Jurisdictionum confinio repertum esset, aut plura delicta in distinctis Jurisdictionibus patrata concurrerent, incusatus per illam Jurisdictionem judicabitur, ad cujus cognitionem delictum quodcumque ex praemissis prius pervenerit.

§. 3. Potestas tamen haec judicandi cessat, quoties causa forum aliquod privilegiatum sortitur. Unde in Criminibus articulo 1-mo partis 2-dae specificatis, notae infidelitatis, et casibus turbatae publicae Comitiorum securitatis articulo 7-mo 1723. designatis, quoad cujuscunque status, et conditionis personas, militaribus etiam (salva caeteroquin articuli 11-mi 1723. dispositione) huc intellectis, competens forum erit Tabula Regia.

## ARTICULUS VIII.

*De Actoratu.*

Actoratus in casibus notam infidelitatis inferentibus articulo 1-mo partis 2-dae specificatis, nec non violationem salvi conductus Comitiorum, conformitate articuli 7-mi 1723. involventibus, Fisco Regio; in aliis autem delictis Codice hoc designandis competet Fisco Magistratuali illius Jurisdictionis, cui immediate praecedenti articulo potestas iudicandi delata est.

## ARTICULUS IX.

*De Examine Judiciali*

§. 1. Si norma procedurae, ac requisita defensae media juxta principium 7-mum eo accuratius in Criminalibus observari debent, quo gravius Legium Criminalium obiectum est: solenne Judicium, plena proba, completa defensa, et exauditio requiritur, si de vita Civis, aut irroganda seu in rebus, seu in persona ejus poena agatur. Proinde nullus Civium judicari, tanto minus puniri poterit, antequam in Judicio debiter exaudiatur.

§. 2. Requisita porro Judicialis examinis haec erunt: ut capta praevia ex specie facti, et extrajudiciali examine delicti, ejusque qualitatis notitia, examinandus in Judicio, praemissa seria adhortatione, quod Judici legitime interroganti sincere fateri teneatur, de nomine, et cognomine, de annis aetatis, loco nativitatis, et ultimae commorationis; vel si vagabundus sit, de loco etiam educationis, servitii, functionis, conditionis, et rationis vivendi, an, quoties, ubi, et quare in aresto fuerit, quare ratione ex eo dimissus sit? de causa, ob quam captus est, et si circumstantiae delicti ita comparatae sint, ut illud per singularem personam patrari nequivisse appareat, de sociis; aut si delictum per se solum patratum esse confiteretur, de modo, quo illud committere potuerit, interrogetur. Caeterum examine quaevis peculiaribus, quae delictum comitantur, circumstantiis accomodanda erunt; unde pro formandis specialibus quaestionibus, certum, et fixum exemplar ob varietatem casuum

praescribi nequit. Id tamen sit pro regula: super omnibus circumstantiis tam aggravantibus, quam alleviantibus incusatum interrogandum esse; ita tamen, ut circumstantiae incusatum enodantes, primum non ab ipso incusato, sed a testibus exquirantur. Quodsi tamen ex testium fassionibus, in exculpationem incusati nihil certi elici posset, nec incusatus etiam quidquam in enodationem sui adferret, tunc Judex ad extremum quaestiones in favorem incusati tendentes, quas ex circumstantiis praetensi delicti justas, legitimas, et favorabiles esse agnoverit, formet, et adhibeat.

§. 3. Si plures delicti socii, et complices fuerint, seorsim quilibet examinandus, ne quispiam eorum inaudiendo alterius fassionem, eidem semet conformet.

§. 4. Abstinentum in hoc examine ab omnibus dolosis pervasionibus, a promissione gratiae, vel remissionis poenae; multo autem magis a minis, et verberibus, imo et verbis acerbioribus; praeterquam enim, quod extorta ejusmodi confessio ipso Jure sit nulla, dubia, et injusta, in promissis non servatis, detegitur promissioris levitas, quae a Judice procul abesse debet.

§. 5. Si tamen examinatus esset pertinax, vel non apposite responderet, modo legitimo ad id compellendus est; utpote confrontatione cum testibus, complicibus, praepositis ipsi ob oculos ipsum gravantibus circumstantiis, indiciis, armis, instrumentisque patrati sceleris, aut literis, aliisque rebus ad convictionem examinati deservientibus; ac si haec quoque non proficerent, pro majori ipsius compunctione, et convictione, juramento per testes in caput ejus deponendo.

§. 6. Quaestiones quaevis, et ad has edita responsa, iisdem, quibus examinatus utitur, verbis, (nisi forte extrajudiciale examen, quoad omnes requisitas circumstantias completum confirmaret, aut in aliquibus solum modificaret), scripto Judiciali examini inserenda venient. Post factam autem insertionem, examinato finem in eum: num omnia proprie assumpta, et Fassioni ipsius conformiter, rite inducta sint? relegi debebunt. Si examinatus quidpiam alterari vellet, id etiam, quin priora per ipsum, reapse tamen dicta

corriganur, ad perspicendas vacillationes, continuative examini subjungenda sunt.

§. 7. Si mutum, vel amentem se fingeret, simulatio debite, adhibito etiam Medico, vel Chirurgo, exploranda; eaque comperta, contra incusatum, tanquam pertinacem, priori modo procedendum est, haecque circumstantia ipsi pro gravante deserviat.

§. 8. Quodsi autem revera mutus, aut surdus esset, mediante scriptura, vel congruis responsiones eruendae sunt.

§. 9. Si examinandus eam solum linguam loqueretur, quam ad Judicium nemo calleret, examini unus interpres, si duo haberi non possent, linguae ejusdem gnarus adsciscatur, qui praevis juramento adstringendus erit: quod nimirum interrogatoria Judicii, responsa item examinandi, absque ulla mutatione: exacte, et fideliter interpretari, nihil aut omittere, aut addere, sed cuncta ita referre velit, prouti perceperit. Si istiusmodi interpres in Judicii districtu non inveniretur, res altius referenda erit, quo nimirum seu de examinando ad aliud quoddam Judicium, ad quod linguae illius gnarae Judiciales personae adsunt, deportando, seu de viro quodam, linguae illius gnaro, ad Judicium delegando necessario disponantur.

§. 10. Peracto examine, Judex perpendat: an omnes circumstantiae, quoad fieri potuit, legaliter pervestigatae sint, vel aliquae indagandae restent? Si novae, aut pro allevamine, aut pro aggravio incusati emergerint, ulteriori inquisitioni, examinibus, ac pro re nata correspondentibus cum aliis Jurisdictionibus fovendis insistendum est, quibus vel delictum elici, manifestumque reddi, vel praetensus reus salvari possit.

#### ARTICULUS X.

##### *De Probationibus in genere, et specie.*

§. 1. Quemadmodum sine legitima confessione, aut legali probatione, nemo poena affici potest: ita si alterutrum horum adfuerit, poena lege praescripta locum obtinebit.

§. 2. Legitima confessio debet esse spontanea, perspicua, completa, fundata, Judicialis, et constans.

§. 3. Spontaneitatis requisita articulo immediate praecedenti recensita sunt.

§. 4. Ad perspicuitatem requiritur: ut confessio non sit dubia, vaga, generalis, illativa, neve conditiones, aut restrictiones contrarias in ipsum causae meritum influxum habentes, contineat.

§. 5. Completa fit confessio per enarratum non solum factum, sed etiam facti essentiales circumstantias; secus si incusatus, vel absque circumstantiis factum confiteretur, vel alias circumstantias facto non cohaerentes enarraret, poenae statutae, praesertim mortis, ex sola confessione, in defectu aliarum probationum, subjici non poterit; quia dubium semet redderet auctorem, et non vanus circa eum metus subversaretur, quod praetensum delictum ex taedio vitae contra se fateatur.

§. 6. Fundata est: si factum, et recensitate facti circumstantiae aliunde verae compertae fuerint, et de corpore delicti constet. Unde non exstante corpore delicti, aut praesistentia ejus ad evidentiam non probata, nec Judicialis confessio, ex taedio nefors vitae elicita, praesertim ad irrogandam poenam capitalem sufficit, sed Judici in corpus delicti inquirendum est.

§. 7. Judicialis est, si in Judicio formato deponitur, vel extrajudicialiter facta coram Judicio confirmatur. Unde extrajudicialis confessio, in benevolo examine, ad praescriptum articuli 4-ti §. 2. exigendo facta, et requisitis hocce articulo recensitis provisa, semiplenam tantummodo probam efficit; accedente nihilominus unius testis omni exceptione majoris fassione plenam probam constituet.

§. 8. Ita etiam multi, aut surdi per interpretes tantum elicita confessio pro plena proba non habebitur.

§. 9. Constans denique est: si examinatus citra variationem, perpetim in ea perstiterit. Unde si Judicalem etiam confessionem successive revocet, simul vero legitimas causas suae revocationis assignet, et probet, aut errorem confessionis doceat, quia confessio erronea in causis publicis, ubi de periculo vitae, aut poena corporali agitur, etiam sponte facta, probato contrario infringi potest, prudens

Judicis requirit Judicium: an confessione exinde plene elisa, vel adminus dubia reddita, revocans simpliciter absolvendus? vel quia causae revocationis pro re nata etiam investigandae, vel nullae, vel leviores adstruuntur, convincendus? vel modalitate articulo 13. §. 10. Codicis hujus admissa, pro ratione circumstantiarum quomodo puniendus veniat? In concursu demum plurium delictorum, ubi incusatus ex his aliquod negaret, Judex ad principium 13-tium reflectendum habebit.

§. 10. Quamvis autem incusatus factum negaret, aut confessio ejusdem imperfecta, vel subseque revocata foret, si tamen legales probae aliunde eruendae praestantur, condemnatio ejusdem sequi debet, nisi ipsam simul probationem enervaret.

§. 11. Legales vero probae praestantur per testes, per corpus delicti, ejusque visum repertum, per literalia instrumenta, et per fundata indicia.

§. 12. Ut per testes legalis probatio efficiatur, primum testes debent esse idonei, et omni exceptione majores.

§. 13. Inhabiles sunt vel natura tales ob defectum rationis: uti amentes, fatui, furiosi, phraenetici tempore urgentis morbi, surdi de auditu, coeci de visu.

§. 14. Vel ex legis dispositione: uti impuberes, vel minores annis 16 nisi subinde Judex pro delinquentis alleviamine, minores etiam annis 16 in facto captum ipsorum non excedente, audiendos censuerit; infames infamia juris, sive ii, qui per sententiam Judicis pro infamibus, vel ad perhibendum testimonium incapacibus declarati sunt; infames infamia facti, sive qui de delicto publico inquisitionem subeunt, aut ejusmodi reatui impliciti sunt; ita tamen: ut ii, qui ob publicum delictum inquisitionem subierint, suam vero innocentiam plene probaverint, vel dictatam sibi poenam explevissent, sint testes integri. Item perjuri; illi praeterea, qui in testificando falsi, vacillantes, inconstantes, difformiter fatentes comperti fuerint; vel vero quibus a causa, seu re, quae probanda est, commodum vel incommodum dependet. Huc tamen non intellectis laesis, aut damnificatis; tales namque, si caeteroquin integrae

famae, et fidei, nullique exceptioni obnoxii fuerint, in casibus, ubi veritas secus nulla alia ratione erui potuerit, et factum praeterea, vel uno alio teste omni exceptione majore, vel fundatis indiciis semiplenam probam facientibus probaretur, tam quoad factum, quam quoad damni illati quantitatem, pro idoneis testibus reputabuntur. Non possunt ad haec testimonium perhibere Judices in causa, quam judicant, ita: ut Judicis notitia probationem constituat; sed tenebitur Judex casu in hoc Judicatum deponere, et sic testem penes, vel contra incusatum agere. Non sunt praeterea idonei pro perhibendo testimonio socii, et complices delicti, in quibuscunque casibus, etiam articulo 7-mo 1715. designatis. Item gravi laborantes inimicitia contra incusatum; sed nec accusatores; quin passionati ex rancore quopiam, et interessentia delatores neque in Criminibus praecitato articulo 7-mo 1715. exceptis. Non tamen ii, qui bono animo, et ex obligatione delictum competenti loco deferunt. Quaevis denique personae, ad publicam notitiam malae famaе, vel testes pretio corrupti, seu mercede conducti, aut minis adacti, subordinati, aut qui conspirant de testimonio contra aliquem dicendo.

§. 15. In reliquo prudenti Judicis judicio relinquitur: non ut praevio Jure rejectos testes in testimonium adhibere possit, quia non Arbiter, sed Minister Legis est; ast id, ut definire queat: an, et quantam fidem mereatur etiam testis expresso Jure non rejectus, incredibilia tamen, et cum facti circumstantiis non cohaerentia referens? quia testi plus credi non debet, quam credi possit.

§. 16. Non adhibebuntur praeterea in testes pro incusato, sed et contra incusatum a testimonio perhibendo semper excusantur: parentes in linea ascendenti, et proles in linea descendenti, Conjuges, Fratres, Affines usque 2-dum gradum inclusive; Tutores, Tutelati, Curatores, Curatelati, Socer, Socrusque contra Nurum, aut Generum, et vicissim; Advocati vero in illa causa, in qua patrocinium incusato praestant, vel praestiterunt, in testes admitti non possint.

§. 17. Nascendi autem conditio nulli obstat, quo minus, sive ex illegitimo thoro, sive parentibus qualitercunque notatis genitus, sive ignobilis contra Nobilem, servus,

aut subditus contra Dominum, aliique familiares, et domestici (nisi interessentia quaepiam, aut quid aliud integritati fidei eorum obstaret) in testimonium pro rerum circumstantiis admittantur.

§. 18. Ultro, ad sufficiens, et legitimum testimonium requiritur: ut testes per ipsum Judicium Juramento, cujuslibet testis religioni, quam profitetur, accomodando obstringantur: quod nempe super eo, de quo interrogati fuerint, absque omni mentis restrictione, et ambiguitate, timore, amore, odio, munere, complacentia, aut reverentia remotis, et postpositis, veritatem sint fassuri, nihilque quod sciunt, tacituri, coramque ipso Judicio authenticentur, nisi forte Judicium censeret testem ob morbum, aut alias graves, justasque causas, in habitatione ejus, coram exmittendis de Judicio, aut ob majorem distantiam, coram alio Judice medio compassualium interpellando, exaudiendum esse.

§. 19. Cujusvis testis fassio debet certa, atque indubie ratine tam ad factum. in quod inquiritur, quam ad ipsam etiam auctoris personam referri, propria atque genuina rei ipsius notitia inniti, nequaquam vero ex auditu alieno, simplicem, non juratam, privatoque factam relationem redolente, conjecturis, probabilitate, atque argumentationibus derivari. Unde in factis testis tantummodo videre in dictis audire, et simul videre debet; et non tantum dicta, sed tonum, gestus, occasionemque, qua verba quaestionata prolata sunt, referre obligatur.

§. 20. Quodsi tamen testis de simplici auditu alieno loqueretur, in auctorem loquelae indagandum, isque in examen, et testimonium vocandus est.

§. 21. Debet praeterea fassio testis cum levata delicti corpore in tantum ad minimum convenire, ne scilicet in essentialibus circumstantiis contradictio aliqua emergat.

§. 22. Antequam testis juramentum de dicenda veritate deponat, semper maturo consilio dispiciendum est: an ejus adjurandi sit necessitas? et an ad perhibendum testimonium idoneus sit? Unde juramenti depositio cessabit tunc, si in propatulo sit, testem inhabilem, aut suspectum esse, vel ejus juramento obstringendi necessitatem non adesse.

§. 23. Posteaquam vero juramento obstrictus fuerit, antequam examinetur, juramenti de dicenda veritate depositi, quamve grave scelus sit commissurus, si in causa sanguinis quidpiam timore, favore, odio, aut quocunque respectu humano abreptus, insincere retulerit, pro ratione conditionis praemonendus veniet. Contra eos vero, qui falsum testimonium contra proximum perhibuerint, suo loco poena statuatur.

§. 24. Dum plures concurrunt testes, quisque singillatim examinandus est.

§. 25. In fassiones testium per suggestiones non involandum, tanto minus vero exprobrationes; terriculamenta, aut alia aliqua violenta media, ad eliciendas ab iis fassiones unquam adhibenda sunt.

§. 26. Examina testium sobria illorum mente instituenda; responsa, collateralem fassionem alterantia, aut fassiones coram Judicio exceptae, verbotenus adscribendae; simulque ad animi motiones: an non passionem aliquam ipso vultu, vel sermone prodant? advertendum. In fine denique, depositio fassionis testi perlegenda, et si quid alteratum voluerit habere, alterandum, incusatoque petenti, fassiones testium non solum communicandae, sed etiam in genuinis paribus extradandae sunt, terminusque competens pro expendendis iis, aliisque contra illum probis concedendus est.

§. 27. Cum vero nemo, alterius causa fatigia, et expensas subire teneatur, testibus per Magistratum citatis, et in exculpationem etiam incusati adhibitis, convenientia diurna (nisi iis expresse renuntiarent) ex cassa publica solvi debent, iisque, quo tutius ire, et redire possint, salvus conductus impertiendus, ac de requisita securitate prospiciendum est. Proinde, et testes tales, eorumque salvum conductum violantibus, poena suo loco statuatur.

§. 28. Medici porro, Chirurghi, atque obstetrices, relationes, ac opiniones suas in publicis gratuito dabunt; his tamen, si non in loco Judicii habitaverint, aut fine peragendi visi reperti, extra locum habitationes proficisci debuerint, publica vectura, et pariter convenientia diurna ex fundo publico praestabuntur.

§. 29. Hae tamen et aliae Judiciales expensae, ubi incusatus nocens compertus, fundo tam ad publica, quam privata onera ferenda sufficienti provisus fuerit, per eum, vel eo pro innocente comperto, per accusatorem etiam malitiosum, modalitate infra praescribenda, cassae publicae successive refundentur.

§. 30. Omnis supra non exceptus, erga solam citationem Judicis, pro perhibendo testimonio, seu authenticatione comparere tenebitur, refractarius vero designanda suo loco poena punietur.

§. 31. Quod et de illis, qui familiares, aut domesticos suos ad perhibendum testimonium non dimittunt, arcent, vel alias praepediunt, intelligendum veniet.

§. 32. Testium examine peracto, sequitur confrontatio, nisi incusato delictum confitente esset superflua.

§. 33. Necessaria vero est: vel ut incusatus negans, per testes, per denuntiatores, aut per complices de facie ad faciem confrontatus confessionem permoveatur; vel ut per testium, aut complicum inter se dissidentium concordantiam, veritas facti plenius eruatur; vel ut error in persona, per ocularem incusati recognitionem removeatur; aut ipsa arma, instrumenta, aut literae, aliaeque res ad convictionem incusati, deservientes, vel incusato, vel aliis personis ad recognoscendum pro re nata exhibeantur.

§. 34. Confrontatio indiscriminatim cujuscunque conditionis, et status incusati, semota omni suggestionem, sequentem in modum tractanda est: videlicet incusatus ante omnia confrontetur citra praesentiam testium cum fassionibus eorundem, et hoc nihil proficiente, testis coram sistatur, ejusque prior fassio, in quantum incusatum aggravat, punctatim repetatur, et incusati responsio expetatur; hoc etiam non proficiente, objiciat ipsemet testis incusato praeallatas circumstantias, quin pro re nata in faciem, aut caput incusati, reiterato breviter juramento, juret. Hic etiam semper ad varias animi motiones eorum, qui inter se confrontantur, attendendum, universaque Judicialis hujus actus series scripto deducenda est.

§. 35. Cum quaecunque testibus contra incusatum,

eadem testibus quoque pro incusato fatentibus competant, eadem quoad hos quoque Judicii formalitas per omnia observanda veniet.

§. 36. Jam quod vim similis probationis per testes adtinet: ad convictionem incusati duobus opus est testibus omni exceptione majoribus; unde singularis testis vim semiplenae solum probationis obtinet.

§. 37. Ita et jurata fassio laesi, aut damnificati nulli caeteroquin exceptioni quoad integritatem fidei, aut famae obnoxii, quoad ipsum quidem factum semiplenam, facto vero aliunde plene probato, quoad quantitatem illati damni plenam probam constituet in casibus §. 14. hujus articuli praeallatis; semper tamen idoneitas ejusdem, et testimonii necessitas, prout et formulae, erga quam jurare debeat, e visceribus causae elaboratio, per allegata, et Judiciale sententiam superanda veniet.

§. 38. Fassio unius testis utut omni exceptione majoris neque tunc plenam probationem dare poterit, si a duobus, aut pluribus suspectis testibus confirmata fuerit. Longe vero minus poterunt in defectu unius omni exceptione majoris testis, fassiones suspectorum testium, quotquot eorum fuerint, adversus incusatum in negativa persistentem, probationem quamcunque praestare.

§. 39. Fassio tamen unius testis omni exceptione majoris, poterit vim probationis ad convictionem incusati sufficientes conficere, cum incusati confessio, aut alia indicia plene probata, non elisa, et cum fassione testis per omnes circumstantias cohaerentia accesserint.

§. 40. Si autem fassiones testium minime inter se fuerint conformes, vis probationis secundum sequentes regulas erit judicanda: testes, qui de circumstantia aliqua silent, aut se eandem ignorare affirmant, vim probandi fassionum illarum nequaquam tollunt, quae de circumstantia eadem apposite ab aliis editae sunt. Ubi tamen testis legitimus circumstantiam talem, quam necessario scire debebat, se penitus ignorare fateretur, contrariam, ad plenam caeteroquin probationem sufficientium duorum testium fassionem, quoad illam circumstantiam, ad semiplenam probam reducet,

singularis autem testis in obversum fatentis fassionem plene elidet. Fassiones testium omni exceptione majorum nunquam eliduntur, tametsi forte testes suspecti fassionibus istis, seu expresse contradixerint, seu sub contrariis aliquibus circumstantiis rem aliter exposuerint. Si pro incusati tam innocentia, quam culpa, ad plenam probationem requisitus idoneorum testium numerus ab utrinque steterit, cum incusati conditio semper favorabilior esse debeat, tunc ea circumstantia erit pro vera habenda, quae incusato favorabilior fuerit.

§. 41. Corpus delicti non aliud est, quam evidens existentia delicti.

§. 42. Hujus probatio ad fundamentum processus adeo pertinet, ut hic, ea neglecta, nullus evadat, ita: ut nec confessio incusati juxta §. 5. hujus articali aliquid operetur.

§. 43. Quodvis autem delictum, vel vestigia sui post se relinquit, et ideo facti permanentis nominatur, vel non. Illud ad sensum, hoc ad intellectum comprobari debet. Ad sensum comprobatur conformitate §§. 1. 2. 3. 4. articuli 3-tii Codicis hujus per ocularem inspectionem. Ad intellectum probatur per testes, vel per indicia.

§. 44. In delictis articulo 3-tio §. 2. designatis, visum repertum super corpore delicti qualiter peragi debeat, eodem articulo dictum est; jam ut taliter peractum visum repertum, et super hoc depromta opinio pro basi ferendi Judicii haberi possit, haec adhuc requiruntur: ut tam visum repertum, quam super eo depromenda opinio sub jurata Medicorum, et Chirurgorum fide fiat; et ideo, si ad muneris sui partes rite explendas generaliter adjurati jam praevis non forent, tam super viso reperto fideliter peracto, quam opinione sincere depromta, juramentum coram Judicio subseque deponere debebunt; dein, ut opinio Chirurgica conformitate instructionis suae §. 24. ante ferendum Judicium per juratum Jurisdictionis Physicum superrevideatur. Si opinioni sive unius Chirurgi visum repertum peragentis, sive duorum inter se consentientium, opinio quoque Jurisdictionis Physici conformis fuerit, pro plena proba habebitur; si vero Physici opinio, sive ab opinione unius solum Chirurgi

visum repertum peragentis, sive a duorum Chirurgorum inter se consentientium opinione discreparet, his in casibus opinio superrevidentis Physici tunc locum obtinebit: si eadem fuerit favorabilior delinquenti; si vero gravior fuerit, tunc ejusdem Jurisdictionis alter Physicus, si duo sunt, si autem tantum unus esset, vicinae Jurisdictionis Physicus juratam opinionem depromet, et cui is adhaeserit opinioni, illi standum erit. Quodsi vero jam in ipso actu sectionis plures Chirurghi praesentes, et per eos sub jurata fide differentes opiniones depromptae fuerint, superarbitrium Physici juxta priores regulas excipiendum veniet. Si demum alter quispiam, adjurandus tamen Medicus, qui sectioni interfuit, sive sua sponte, sive ab adductis in quaestionem judicariam, aut ab enecti cognatis requisitus, scriptam, suisque rationibus suffultam sententiam traderet Jurisdictioni, diversam ab opinione Jurisdictionis Medici, tunc si opinio ejusdem intercedentis alterius Medici delinquenti favorabilior fuerit, ea in Judicio locum habebit; si autem gravior fuerit, rursus alterius jurati vicinae Jurisdictionis Physici superarbitrium, et sententia excipietur, et cui is opinioni adhaeserit, illi standum veniet. In casibus denique prorsus specialibus, instructionis Medicae §. 26. designatis, recursus ad Facultatem Medicam in Regno constitutam fiet, tuncque ejusdem facultatis opinioni locus in Judicio dabitur.

§. 45. Sicut porro in aestimationibus aliis, juramento coram Judicio firmata attestata artisperitorum, ita in delictis montanistarum, quoad damni, et fraudis in objectis foddinalibus illatae indolem, qualitatem, et quantitatem, officiosa attestata Jurisdictionis montanae plenam probam constituent.

§. 46. Ipsum autem corpus delicti extra casum deprehensionis in flagranti prae manibus incusati repertum, etiamsi evictorem statuere nequiverit (sublato tit. 34. 3-tiae rigore) plenam probam contra incusatum non constituet, sed erit solum indicium de delicto per eundem perpetrato.

§. 47. Literalia instrumenta ut probent, de auctore coram Judicio constare debet.

§. 48. Super originalis in Judicio habiti exaratione

confessio ipsius incusati, vel duorum testium omni exceptione majorum jurata fassio, contra scribentem plenam probam efficit, si in Literis Delictum, Delictive autor directe denominetur, et Delictum reipsa secutum sit.

§. 49. Quodsi vero Literae Delictum, Delictive autorem indirecte tantum indicent, atque argumenta solum ad Delictum detegendum suppeditent, non obstante earum authentia, Incusato factum negante, neutiquam pro plena proba, sed tantummodo pro indicio habebuntur.

§. 50. Absque probarum aliarum concursu, sola vidimata Documenta, etiamsi Vidimantes jurent scripturam Originalis se noscere, eamque Incusati genuinam fuisse, vel si Literae in Judicio cum ipso caractere Incusati comportentur, illo factum, et scripturam negante, plenam probam constituere non possunt, sed pariter tantum pro Indicio reputabuntur.

§. 51. Cum Indicia sint argumenta de Delicto, et ejus autore, ideo ad probationem species etiam pertinent.

§. 52. Indicia cum Facto, et Incusato, tanquam ejus autore, necessario connexa, etiamsi Factum ad talem evidentiam ponere videantur: ut Judicem de Delicto per Incusatam commisso vix dubitare sinant, quia tamen esse potest, ut indicia etiam talia quandoque fallant, Judex e proximis licet Indiciis nunquam poenam gradui Delicti alias lege adtributam, sed eidem gradui proximam dictabit.

§. 53. Ex adverso autem, unum etiam Indicium necessariam cum facto, et Incusato connexionem habens, junctim cum legitima Incusati Confessione, vim plenae probationis obtinebit.

§. 54. Qualiter autem Fassioni unius Testis idonei accedentia Indicia plenam probam constituent, §. 39. Articuli hujus, deductum est.

§. 55. Ut tamen Indicia sint probantia, ante omnia praeexistencia Corporis Delicti ad evidentiam doceri debet; dein ipsa Indicia non tantum cum Facto, et Incusato necessario connexa, sed etiam plene, vel Testibus omni exceptione majoribus, vel Documentis recognitis, aut Confessione judiciali Incusati probata, et neque per Incusatam elisa esse oportet.

§. 56. Ceterum nec in his, nec in quibusvis aliis concurrentibus fortissimis praesumptionibus, circumstantiis, et Delictis, quae etiam Excepta vocabantur, ac Criminibus quibusvis atrocissimis, torturalia Examina tanquam dubia, fallibilia, et non idonea, vel in locum horum substituenda quaevis violenta eruendae veritatis media, nullo unquam tempore, quocunque sub praetextu et colore habebunt locum. Cum de omni Jure expressa per talia confessio nihil valeat; et si hoc medium ad veritatem inveniendam in nullo casu aptum est, sequitur illud nec in aliquo casu aptum esse posse.

§. 57. Ita et Juramentum purgatorium, vi cujus Reus innocentiam suam probare vellet, locum in Actionibus publicis nunquam obtinebit.

§. 58. Potest vero Incusatus etiam Testes Actoris Fisci ad probandam suam innocentiam adhibere, Judicium autem obligatur non tantum ab eo, qui jam sub Inquisitione stat, omne id assumere, quod ad defensionem ejus servire valet, verum quilibet etiam alter, de quo nefors suspicio aliqua concepta, aut fama Facinoris alicujus a se commissi exorta est, aut qui forte secus delatus fuerit, ad probandam innocentiam suam ultro sese offerre poterit; exponendo scilicet, metuere se, ne sibi post intervallum temporis ad demonstrandam innocentiam suam deservientes aliquae Probationes deficiant. Interim spontanea talis ad probandam innocentiam oblatio nequaquam obstabit, quin offerens semet, in formalem Inquisitionem trahi possit, si sufficientia successu temporis adversus eum Indicia prodiderint.

#### ARTICULUS XI.

##### *De Requisitis Judici.*

§. 1. Judex in Judicio constitutus, injunctas sibi Principio 14-to obligationes prae oculis habere, semperque eum finem sibi praefixum spectare debet: ut scilicet parte ex una, qui revera deliquerit, impunis non maneat, parte vero ex altera innocens, quem forte circumstantiarum solum concursus in suspicionem vocaverat, nil metuendum habeat;

proinde innocentia in ipso Judicio, necessarium semper, eumque omnino strenuum sui defensorem invenire valeat.

§. 2. Norma Proceduræ, et requisitæ Judiciorum solennitates juxta Principium 7-mum etiam in causis publicis, circa quemlibet Delinquentem, juxta conditionem ejusdem observari debent: utpote Ecclesiasticus, et Nobilis, si etiam in casibus Article 2-do Codicis hujus designatis comprehensi forent, assignato legali quindenæ ex vinculis, secus vero omnes cujuscunque Status, aut Conditionis, qui juxta præcitatum Articulum 2-dum se in statu libertatis defendere possunt, dato eisdem pro ratione residentie competenti Termine, sua forma sub subscriptione Praesidis Judicii, ad personaliter comparendum, seque defendendum, Jusque, et Judicium recipiendum citandi sunt.

§. 3. Non secus Exceptiones etiam, quæ ad legalem defensam Incusati pertinent, in Causis publicis habebunt locum; non tamen eae, quæ pure ad protelationem Causæ vergerent.

§. 4. Juristitorum tamen tempora, hic in Causam adtractis non suffragabuntur; proinde Juristitorum etiam tempore ad agendum adstringi debebunt, ac judicari, condigna poena plecti poterunt.

§. 5. Processus vero omnibus Incusatis, cujuscunque status, et conditionis fuerint, rite formabitur; sive Actio Speciem Facti, subjuncta Lege, juxta quam Incusatus puniendus veniet, complexura præmittetur. Dein parte ab una per Actorem Fiscum aggravantes, parte vero ex altera per Fiscalem pro defensione Incusatorum ordinandum, aut assumendum alium Advocatum alleviantes circumstantiæ, totidem, quot necessitas exegerit, Replicis deducentur; ita tamen: ut in summo compendio agatur, et Incusatus semper habeat ultimam Replicam, salva tam Montanisticis districtualibus, et substitutis, quam aliis Judiciis, contra Ignobiles, in Delictis Article 53. et 54. Partis 2-dæ contentis, aliisque levioribus, multas pecuniarias, aut unius mensis arestum, huicque æquiparatas poenas post se trahentibus, post completam semper Delinquentis exauditionem, summarie (deducta nonnisi in Protocollo cum, provocatione

Actorum Specie Facti, et motivis Judicium pro, vel contra permoventibus) procedendi Activitate.

§. 6. Incusatis Advocatum suum informandi, quin et Testes praesente Judice interrogandi facultas concedetur; Actaque Judicialia cum Advocatis Incusatorum semper, et etiam cum ipsis Incusatis, si desideraverint, communicabuntur.

§. 7. Processus porro Actionum publicarum non extractive, sed per extensum cum provocatis Actis perlegendi, pro ferendo in Foris primae Instantiae Judicio referentur.

§. 8. Ad ferendam Sententiam plenum Judicium, sive completus numerus Judicum pro respectivis Foris per legem defixus requiritur; sed et reliqui Actus Judiciarii, uti sunt Judicialia Examina, Authenticationes, et Confrontationes, semper in facie Judicii peragentur, nisi subversantes peculiare circumstantiae Exmissionem Cojudicum de figura Judicii exigent; quo in casu ad peragendos Actus Judicarios, duo ad minimum e Cojudicibus delegabuntur.

§. 9. Quoad substitutionem Judicum in casum interestentiae id observabitur: quod quidquid Judicem in Causa civili a Judicio, ejusque Actibus peragendis arcet, id etiam in Causa publica Incusati eundem excludet.

§. 10. Ubi vero (praevia semper, ut sententia concordibus quasi votis feratur, meriti concertatione) ad vota colligenda deventum fuerit, eadem ab inferiori parte Judicum, donec tandem ad Praesidem deventum fuerit, exigentur, Sententia pro pluralitate votorum per Notarium Judicii concipietur, et si vota Assessorum aequali fuerint numero divisa, Praeses rem voto suo decidet, exoptis casibus poenam mortis, aut perpetuorum Carcerum inferentibus, in quibus ad hoc, ut talismodi Sententia feratur, duae ad minimum tertiae Judicum convenire debent.

## ARTICULUS XII.

*De Circumstantiis Delicti imputationem impredientibus, vel Delictum alleviantibus.*

§. 1. Cum juxta Principium 2-dum et 3-tium diversa Adjuncta eandem in specie poenam aliquibus graviorem, aliis leviolem efficiant; Judicis officium est, in Circumstan-

tias mitigantes, et aggravantes inquirendi, et Judicium secundum eas moderandi.

§. 2. Adjuncta porro haec colligenda erunt ex animo, intentione, persona Delinquentis, ex persona laesi, ex loco, tempore, et modo patrati Delicti.

§. 3. Ex animo proinde, et intentione, sicut juxta praecitata Principia, conscientia, et animus est norma actionum humanarum, ita liberae voluntatis defectus a Delicti imputatione quemque liberat; utpote ob plenam mentis emotionem, si Incusatus mente captus, aut ab eo, cui lucida sunt intervalla, Actio furore durante fuerit commissa, aut facinus in ebrietate, citra intentionem directam fortuito contracta, aut in chronicis, aliisque corporis, et animi morbis cum adeo vehementi sensuum perturbatione fuerit perpetratum: ut Delinquens facti sui minime sibi fuerit conscius.

§. 4. Ob inactivitatem rationis; uti sunt actus dormientium, noctambulorum.

§. 5. Ob ignorantiam Facti; si error ejusmodi interverit: ut erranti ob ipsum errorum nulla possit culpa imputari, isque caeteroquin licite acturus fuisset.

§. 6. Ob Coactionem; si actus legi contrarius coactione, aut isuperabili quadam vi impellente susceptus fuerit.

§. 7. Ob immaturitatem, vel debilitatem Judicii; in infantes proinde usque 7-mum aetatis annum vix culpae, nedum doli capaces, poena nulla cadit. Quoad impuberes ante expletum 12-mum aetatis annum non Actio publica, sed domestica Parentum, Tutorum, Superiorum, aut Moderatorum correctio habet locum. Quoad pubertati proximos usque 16-tum aetatis annum jam publicae poenae locus est, sed capitalis cessat. Effeti quoque tales senes relevantur a poena, quibus animi, vel corporis vires adeo hebetatae sunt: ut discretione, usuque rationis careant.

§. 8. Ob casum fortuitum; non potest factum quodam pro Delicto haberi, dum malum nudo fuerit casu exortum.

§. 9. Sequentes porro circumstantiae poenam publicam simpliciter non sufferunt, sed pro prudenti Judicis discretione, circumstantiarumque diversitate minuunt. Minor aetas, qualis

est pubertatem non ita pridem excedentium a 16-to usque 24-tum aetatis annum, quorum pro adjunctis aetatis, non tantum quoad infligendas Corporis afflictivas aetati, et complexioni proportionatas poenas, sed ipsum quoque poenae gradum, condigna habenda est ratio; nisi, incorrigibilitas, extremaque eorum malitia superaret aetatem.

§. 10. Aetas decrepita, ob debilitatem Judicii, et Corporis.

§. 11. Morbi animi; uti sunt melancholia, mania, nimia simplicitas, et stupiditas.

§. 12. Ebrietas plena, non improvisa, sed voluntaria, citra tamen intentionem ad Delictum directam, cum plena mentis alienatione contracta.

§. 13. Passiones animi, quales sunt: ira vehemens, et prima quasi furia, ac impetus, justus dolor, et amor in amentiam degenerans.

§. 14. Ultronea, et non simulata confessio Rei dolentis quasi, et ante Denunciationem semet ipsum mediate vel immediate Judici offerentis, et ideo non vana spes emendationis.

§. 15. Ignorantia Juris non admodum culpabilis; qualis apud nimium simplices ex defectu educationis, aut apud surdos, et mutos prohibitionem Legis per signa cognoscendi non satis capaces, vel extraneos recenter advenas intervenire potest.

§. 16. Conatus Delicti, effectu non secuto; qua in circumstantia duo casus distinguendi sunt: si Conatus Delicti impeditus est ab ipso operante poenitentiam quasi agente, quia se recolligens noluit Delictum consummare, tali in casu, cum jam obtineatur unus finis Legislationis, qui est etiam emendatio Delinquentis, propositum delinquendi nimis alleviatur. Si vero quis Delictum ideo consummare non potuit, quia fuit aliunde impeditus, cum alias libenter Delictum animo praeconceptum, et destinatum perduxisset in effectum, tunc ejusmodi facinoris attentatio externis signis, factoque manifestata impunita manere nequit; sed Judex in ea punienda hanc Regulam tenebit: si videlicet Lex sive Codex iste tali conatui expressam poenam statuerit, tunc Legi inhaerendum; si non, tunc pro gravitate

facti, et complicatione Circumstantiarum juxta gradus culpae, aut malitiae Delinquentis, Principio 5-to conformanda poena locum obtinebit.

§. 17. Exiguitas damni e Delicto exorti, vel in committendo Delicto per Delinquentem observata moderatio; quippe: quod ei occasio ad facinus perpetrandum potius praesto fuerit, quam malitia; vel factum, seductus potius, quam proprio motu perpetraverit.

§. 18. Anteacta bona vita, et honesta fama; quae si Judicio sufficienter constiterit, cum finis irrogandarum poenarum sit etiam emendatio delinquentis, merito respectus ejus habendus erit. Et quidem

§. 19. In casibus, ubi delicti auctor cognitus fuit, licet praescriptio in delictis, et quidem generaliter locum non habeat, exacta tamen per plures annos post commissum delictum vita proba Judicio sufficienter constans, e principio priori §pho adducto pro circumstantia alleviante deserviet; Judicium itaque in gradu poenae determinando ad eam reflectet, et in minoribus delictis unius anni carcerum, aut his aequivalentem poenam importantibus, etiam absolutionem incatti decernere poterit. In delictis autem, de quorum auctore non constabat, sed post plures tantummodo a commisso delicto annos quaestio de eodem institueretur, cum per vitam annis pluribus honeste actam, sufficiens de emendatione delinquentis testimonium habeatur, sed et alii poenarum fines, dandum videlicet exemplum, et periculum securitati publicae imminens cessent, in capitalibus transacta annis 20. post commissum delictum vita proba, in aliis vero post annos 10. poenam penitus suffert, salva semper laesi indemnisatione. Quodsi tamen delinquens novum quodpiam delictum committeret, ex occasione commissi novi delicti, prius nondum punitum delictum pro aggravante circumstantia, adeoque intendendo posterioris delicti poenae gradu assumetur.

§. 20. Mandatum istius, cui incusatus obtemperare tenebatur, modo limites Mandati non excedat.

## ARTICULUS XIII.

*De aggravantibus Circumstantiis.*

§. 1. Circumstantiae aggravantes communes, quae delinquentis malitiam adaugent, sunt sequentes: praegrave scandalum in vulgus perniciosum, noxiaeque exinde sequelae.

§. 2. Insignis temeritas, manifestum contemptum legum, superioritatis, aut pudoris prae se ferens.

§. 3. Praecedens infructuosa correctio; si delinquens ad priora delicta, propter quae jam semel, aut pluries punitus est, relabatur.

§. 4. A persona delinquentis; si delictum promovet, qui impedire debuit, vel plane fide jurata ad non patrandum tale delictum obstrictus fuit.

§. 5. A persona laesi; si is singularem miserationem; vel venerationem meruit, vel si quis in personam suae fidei creditam deliquerit.

§. 6. A modo, et intentione delinquendi; si accesserit aliorum seductio, insignis calliditas, crudelitas, insidiae, effractio, et periculosa molitio, vel longior praeparatio; si consortium delinquendi causa initum, aut si grande damnum inde emerit, vel plures inde interierint.

§. 7. A loco; si delictum patratum in locis sacris, Regia habitatione, aut conclavi Principis, vel alio quopiam loco, cujus violatio securitati publicae, finique Civitatis magis adversatur.

§. 8. A tempore; si noctu, pestis, incendii, naufragii, exundationis, vel alterius communis calamitatis tempore.

§. 9. A concursu plurium delictorum; si quis diversa delicta capitalia commiserit, vel plura delicta atrociora concurrerint, aut idem delictum saepius iteraverit.

§. 10. Caeterum, cum diversae casus singuli circumstantiae, quae delicti gravitatem augent, vel minuunt, earumque inter se nexus per legem exhauriri nequeant, earum determinatio conformitate Principiorum 3-tii et 11-mi ad aequanimem Judicis sententiam pertinebit.

## ARTICULUS XIV.

*De Sententia.*

§. 1. Concluso processu procedendum est ad ferendam sententiam quae in casum interpositae exceptionis, vel si eruderandae adhuc cujuspiam circumstantiae necessitas ex relatione, et praelectione processus, actorumque se se evolveret, erit aut interlocutoria, aut processu ex merito plene concluso meritoria, vel condemnatoria, vel absolutoria, eaque, vel in incusatum praesentem, aut vero contumaciter semet absentantem feretur.

§. 2. Antequam finalis sententia feratur, generaliter ad haec potissimum objecta Judex advertere obligatur: an videlicet legales adsint probae? an iis praehabitis, moralis adsit certitudo Judicis super delicto? quis gradus sit cul-pae, aut malitiae incusati? qualis in specie poena huic delicti gradui competat?

§. 3. Cum porro adjuncta sexus, aetatis, conditionis, educationis, eandem in specie poenam aliquibus graviorem, aliis leviolem efficiant, et juxta etiam articulum 43. 1791. ac principium 11-mum Judex poenam his adjunctis adtemperare obstrictus sit, antequam delinquenti adflictivam corporis poenam dictans sententia feratur, revisio corporis, et constitutionis ejusdem per Juratum Medicum, vel Chirur-gum semper est necessaria.

§. 4. In quavis autem condemnatoria sententia delicti perpetrati qualitas, species item dictatae poenae, vel mulctae, cum motivis sententiae rite exprimenda venient.

§. 5. Praeterea sicut damni, vel injuriae privatis nefors per delinquentem illatae qualitas in processu ex merito terminato semper elucubrandae, ita indemnissatio quoque laesi, aut damnificati eadem sententia delinquenti, ex Bonis ejusdem, si quae fuerint, diserte imponenda erit, neque laesi, aut damnificati hac in parte ad distinctum processum inviari poterunt.

§. 6. Ubi vero praeter Fiscum Jurisdictioni, etiam alter quispiam esset accusator, in sententia semper exprimi debet, accusationem vel veram, vel falsam, vel non satis

probatam esse. Si accusatio vera sit, sequitur incusati condemnatio; si falsa est, incusatus mox libertati restituendus, eidemque satisfactio eadem sententia contra calumniosum, dolosumque accusatorem impendenda erit. Si demum accusatio non satis probaretur, incusatus quidem interim maliter erga cautionem, vel fidejussionem libere dimittetur, si tamen sive accusatori novae probae ad accusationis realitatem demonstrandam, sive incusato ad innocentiam suam in claritate collocandam occurrerint, causa denuo reassumetur.

§. 7. Satisfactio false, doloseque accusato impendenda consistit in perpassi damni, expensarumque Judicialium, ac etiam incusato causatarum, condigna bonificatione, et poena calumniatori per idem Judicium ad postulatum false accusati irroganda. Unde accusator exauditioni talis sententiae personaliter adstare obligabitur, secus contumax penes compassum etiam (si ad aliam jurisdictionem se conferret) exequendus, ac in casum insufficientiae fundi, vel dictatae, corporalis poenae, in persona detinendus veniet.

§. 8. Quod ipsum de personali accusatoris detentione eum etiam in casum intelligendum veniet: si gravatoriam sententiam appellaret, sufficientemque de satisfactione in casum approbatoriae in appellatorio sententiae incusato praestanda, cautionem praestara nequiret.

§. 9. Quodsi autem accusator cum incusato colluderet, ac eapropter finalis sententia ferri non posset, aut plane incusatum absolvi contingeret tunc Fisco Jurisdictionis actio competet contra accusatorem cum incusato colludentem, et incusatus etiam ad novum Judicium attrahetur.

§. 10. Denique in ferenda finali sententia semper attingendum veniet etiam de expensis, per quem, fundo Jurisdictionis refundendis? in quarum refusione qualiter decernenda, sequentes regulae observabuntur: sub expensarum nomine ii tantum sumtus intelligentur, qui in inquisitionem, elucubrationemque delicti: alimentumque, et intertentionem in custodiam missi impensi sunt; ac proinde officiosae correspondentiae, Judicumque, et Advocatorum salaria sub iis nequaquam comprehenduntur; sed et haec

expensae ex iudicati substantia tunc solum desumentur, si nimirum is per sententiam reus declaratus, eas e substantia sua ita depromere potuerit: ut principalis ejus publica, ac dominalia onera ferendi, se, suosque sustentandi facultas non enervetur, et quin ab officii illius implemento impediatur, vi cujus laeso, aut damnificato indemnitate praestare obligatur. Si incusatus per sententiam innocens declaratus fuerit, tunc casu in eo: quo inquisitioni ansam delatio falsa praebuerat, delator, si facultates habuerit, iis, quae praecedentibus praescribuntur, observatis, ad refundendas expensas adigetur. Ubi vero expensarum refusio, nec incusato, nec delatori potuerit imponi, earum ferendarum onus in fundum Jurisdictionis devolvetur, qui necessarios sumtus in antecessum semper suppeditare debet.

§. 11. Quod vero sententiam in reos profugos, contumaciterque se absentantes ferendam concernit; vel incusatus in causis publicis per competentem Magistratum ad personaliter comparendum, seseque defendendum, et Jus, Judiciumque recipiendum citatus, contumacia nihilominus ductus, comparere coram Judicio negligit; aut etiam in custodiam missus, ante sententiam inde elabatur: vel jam legitime Juris processu condemnatus, profugit.

§. 12. In solo contumaciae casu, ubi citatus coram Judicio, comparere quidem negligit, sed ita non elabatur, quin locus mansionis ejus sciatur, tunc expetita etiam pro re nata aliarum Jurisdictionum auxiliari opera, circa ejus capturam opportuna illico disponentur, comprehensusque, amisso ipso facto in statu libertatis semet defendendi Jure, ex custodia ad Judicium recipiendum adstringetur.

§. 13. Quodsi vero incusatus ante latam contra eundem in foro primae instantiae sententiam ita elaboretur; ut locus latitationis ejusdem resciri nequiret, quia timor processus ad fugam capiendam etiam innocentes inducere potest, tunc fuga, et latitatio ejusdem pro manifesta confessione non reputabitur, sed processus contra profugum eadem forma, tanquam praesentem formabitur, in eoque publicus defensor ei assignabitur, ac concluso processu, sententia tam circa qualitatem delicti, de quo incusatur, et poenae, quam de

indemnisatione nefors laesi aut damnificati ex Bonis profugi praestanda, ex merito feretur, et pronunciabitur. Quam sententiam pura quoad poenam profugo dictatam, pro defensione ejus ordinatus Advocatus conformitate articuli 15-ti Codicis hujus, ultro quoque appellare poterit.

§. 14. Sententiae talis quoad poenam profugo infligendam latae non alter erit effectus, quam quod per omnes Regni Jurisdictiones, cum descriptione etiam personae profugi, fine eo divulgari, et currentari debet: ut profugus comprehendatur, et ad primae instantiae Judicem, per quem Jure conventus, et convictus est, pro recipiendo quoad dictatam poenam novo Judicio, remittatur.

§. 15. Caeterum quocunque tempore profugus, aut sponte se in conspectum Judicis stiterit, aut captus in custodiam Judicii adductus fuerit, vel si etiam successores ejusdem novum Judicium sibi admitti petierint, semper admittetur incusato, vel successoribus ejusdem, omnia ea via novi quoad dictatam profugo poenam adducere, quae defensioni ipsius inserviunt, quaeve secus incusatis praesentibus indulgentur; atque Judex sententiam tempore Contumaciae pronunciatam, prout status Causae noviter reasumtae postulaverit, poterit confirmare, aut moderari, vel Incusato ex novis probis absoluto penitus rescindere.

§. 16. Quod vero partis laesae, aut damnificatae indemnitem per Sententiam decretam attinet, hac in parte Sententia illico, ut pronunciata fuerit ex Bonis profugi debitae quoque Executioni mancipabitur; remedio Novi Judicii, si aut profugus redux, aut ii, quos successio in Bonis respicit, probare vellent Sententiam justae indemnitis modum excessisse, iisdem nonnisi extra dominium in salvo permanente.

§. 17. Denique si Incusatus post latam jam in eum in Foro primae Instantiae, aut plane revisam in Foro ultimo, quorsum appellabilis fuit, gravatoriam Sententiam profugeret, hic quoque circa divulgationem ejusdem ea omnia, quae §. 14-to Articuli hujus praescripta sunt, observabuntur, cum ea differentia: quod amplius via Novi eidem non competat, sed in priori casu gravatoria solum Fori primae

Instantiae Sententia, per assignandum profugo Advocatum, quoad poenam ultro appellari, quoad indemnitate vero laeso, aut damnificato praestandam, hic quoque Executioni mancipari debeat. Posteaquam vero Sententia jam ultimi Fori, quorsum conformitate Articuli 15-ti appellabilis fuit, revisionem pertransierit, si profugus comprehendi possit, quoad dictatam etiam eidem poenam in effectum deducenda veniat.

§. 18. Provisione Articuli 2-di §. 7-mi Codicis hujus quoad eos, qui apparitoribus resisterent, aut Capturae reniterentur, etiam ad profugos Articulo praesenti contentos extensa.

§. 19. In reliquo exauditioni cujuslibet Sententiae extra casum Contumaciae latae, Incusatus personaliter adstare obligabitur, Sententiaeque idiomate ipsi intelligibili explanabitur.

#### ARTICULUS XV.

##### *De Appellata.*

§. 1. Postquam per Leges Regni Securitati rerum ita provisum est: ut cives Litem de exiguo saepius Substrato per ordinata Fora solenni Juris ordine traducere possint, de eodem quoque Juris remedio Securitati personarum prospiciendum.

§. 2. Proinde cuivis in Sententia Capitali convicto ad Appellatorium, sive Tabulam Districtualem, et si ibi quoque gravatoriam receperit Sententiam, aut Tabula Regia in casibus Articulo 7. §. 3. Codicis hujus designatis procedens Judicium fuerit, ad supremum quoque Revisorium, sive Tabulam Septemviralem appellare integrum est; nullaque Mortis, aut perpetuorum Carcerum Sententia executioni eoque mancipari poterit, antequam supremum Revisorium pertranseat.

§. 3. Quia vero juxta Principium 8-vum Causas publicas quantocyus definiri, et Sententiae in iisdem latae quo celerius post commissum Delictum satisfieri, Securitatis publicae ratio exposceret, in casum ferendae mitioris, quam mortis, aut perpetuorum carcerum Sententiae, cuivis Con-

victo indiscriminatim quoad quasvis poenas, vel mulctas, nonnisi ad unum Forum Appellatorium Causam via Appellatae deducere integrum erit; cujus Sententia, sive conformis Judicio Fori primae Instantiae, sive difformis fuerit, debitae Executioni mandabitur.

§. 4. Cum porro juxta praeattactum Principium 8-vum finis infligendarum poenarum non debeat tendere in vindictam, hinc Incusato, sive in Foro primae Instantiae absoluto, sive ultro non appellante, nec Fiscus Regius in casibus Article 7. §. 3. designatis, nec Magistrualis in aliis ultro appellare poterunt; si tamen Sententiam in causam attractus appellaret, tunc Actor etiam Fiscus, ubi conforme legali petito suo non receperit Judicium, Appellatam interponere obligabitur, et in hoc causa superior etiam Judex, cum sit Minister Legis, adeoque ea in rigore Juris mitior esse non possit, si viderit poenam per inferius Judicium non ad Legis praescriptum, vel non in justa cum Delicto proportione fuisse dictatam, talem Actore Fisco appellante, intendendi quoque facultate pollebit.

§. 5. Pro acceleranda autem Processuum horum revisione, Processus appellati amplius non in forma Transmisionalium expedientur, sed in ipso Originali ex Tabula Regia per Proto-Notarium, ex inferioribus Judiciis per Notarium Referentem subscribendi, Superiori Judici ex officio pro revisione transmittentur, neque evocatio Actoris Fisci ad revisionem appellati Processus per Reum appellantem in posterum erit necessaria. Sed et ex Revisoriis Foris latae Sententiae non in forma Sententionalium expeditae, verum Processui solum inscriptae, et per Referentem subscriptae Foro inferiori pro effectuatione remittentur.

§. 6. Caeterum sicut Incusatus sub decursu Processus Judicio personaliter adstare obligabitur, ita post pronunciatam in Foro primae Instantiae gravatoriam Sententiam, etiam ille, qui caeteroquin ex §. 4. Article 2-di in libertate se defendere potest, non obstante eo: quod Appellatam interposuerit, in casibus illis statim sub custodiam ponetur, ubi metus profugii, sive ex dictata poena capitali, sive alia graviore, temporanea subversaretur.

## ARTICULUS XVI.

*De Novo Judicio.*

§. 1. Cum juxta Principium 18-vum poenae ad statuendum publicum exemplum, promte, et quo celerius post commissum Delictum irrogari debeant, per Judicium jam judicatis, extra casus profugii Articulo 14. §. 15. designatos, via novi sub hoc praetextu agere non admittetur: ut executionem sententiarum, aut extrahant, aut impediunt.

§. 2. Salva tamen erit tam prolibus, haeredibusque sententia capitali damnatorum, quam et ipsismet Judicatis, poenas non capitales subeuntibus, actio separata ad remonstrandam novis probationibus innocentiam, taliterque laesi honoris resarcitionem coram eodem Judicio, per quod judicati sunt proseguenda.

§. 3. Imo ad remissionem etiam poenae, sub ipsa ejusdem expiatione, poterunt condemnati ex novis probis distincta actione agere, quin tamen ideo ante finalem instaurati Processus decisionem, dictata eisdem poena sistatur.

§. 4. Ad probationis pondus cognoscendum, adductas noviter circumstantias cum iis, quae in priori Processu jam adlatae sunt, probe combinare oportebit. Unde ad hoc: ut prior sententia rescindatur, novae prorsus, et ita fundatae probae esse debent: ut iis condemnati innocentia extra omne dubium ponatur.

§. 5. Quodsi tamen, aut lite in revisoriis Foris pendente, aut secus etiam, ubi jam sententia ad Executionem dirigenda foret, sive paragrapho 7. articuli 17. designatae, rarissime quidem accidere solitae, quandoque tamen possibiles, sive aliae tales circumstantiae ex insperato sese exerent, quae unam e probis essentialibus actoris Fisci evertere possent, tunc in utroque casu circumstantiis his praevis in Judicio primae Instantiae cognitis, fiet Repraesentatio Foro Revisorio fine eo: ut causa pro continuatione, vel remittatur, vel denuo reassumenda decernatur.

§. 6. Actori vero Fisco ob idem factum, ob quod quispiam jam judicatus fuerat, extra casum paragraphi 6. et 9. art. 14. via novi nunquam competet.

## ARTICULUS XVII.

*De Executione.*

§. 1. Cum frustra fierent *Judicia*, nisi quae *Judicialiter* deciduntur, reali quoque executioni manciparentur, *sententiae absolutoriae*, vel etiam *poenales non appellatae* in *continenti*, *appallatae* autem *poenales non capitales*, conformitate *praecedentis articuli* post *revisionem* in suo *competenti Foro* abinde remissae, ut *primum* in effectum deduci potuerint, *Capitales* vero per *Tabulam Septemviralem* super-revisae, *tertia die* a *publicatione sententiae delinquenti facta*, *horis antemeridianis* executioni mandandae sunt.

§. 2. Si tamen *Ecclesiasticum* quondam per *Tabulam* etiam *Septemviralem* *capitali sententia* gravari contingeret, talis, seu *utriusque Ritus Catholici*, seu *disuniti sit*, non tantum *Sacerdos*, sed *Clericus* etiam, qui *minores ita dictos* suscepit *ordines*, ante *publicandam* in *foro primae Instantiae* per *supremum Forum* contra eundem *latam sententiam*, per *Dioecesanum Episcopum* ad *requisitionem Judicii degradandus*, non secus et *aliarum Lege Regni receptorum Religionum Ecclesiastici* per *Superintendentes*, *servatis eorum Cerimoniis*, *characterem exuendi* venient.

§. 3. Post *publicationem sententiae capitalis* in *consessu Judicii condemnato factam*, *curandum erit* per *Judicium*: ut *condemnatus juxta ritum Religionis suae* ad *mortem praeparetur*. *Dein adveniente ipsa die* pro *executione destinata*, *penes assistentiam a Civili Jurisdictione procurandam*, per *duos e figura Judicii exmittendos* *Sententia* in *loco etiam supplicii lingua populi vernacula publicanda*, *medio Ministri Justitiae effectui mancipabitur*.

§. 4. *Latam sententiam regulariter quidem Forum primae Instantiae exequetur*; si quem tamen *coram Tabula Regia* in *casibus art. 7. paragrapho 3. codicis hujus designatis*. *conveniri contigerit*, sicut de *custodia incusati* *providet*, ita *ferendam quoque*, (*praevia ejus in casum appellatae per Tabulam Septemviralem revisione*) *sententiam executioni mancipabit Comitatus illus Judicium*, in quo *judicans Tabula Regia consessum suum pro tunc celebraverit*, *salva tamen Principii 15. Codicis hujus provisione*.

§. 5. In reliquo, sententia Capitali plene executioni mancipata, posteaquam supplicio affecti cadaver paululum spectaculo plebis expositum fuerit, ordinaria reliquorum Civium sepultura gaudebit.

§. 6. Illorum vero, quorum cadavera conformitate Principii 12-mi juxta sententiam dismembrabuntur, aut ad locum infamem exponentur, in locis quibus affixa sunt, inhumanda erunt.

§. 7. Quandoque tamen sistenda veniet executio, utpote: si condemnati innocentia in continenti probari potest; si testes, ex quorum depositione quis condemnatus est, dicta revocant, vel eorum testimonium falsum esse detegitur, aut §. 5, praecedentis articuli designatae circumstantiae emergunt; si aggratiatio a Principe concessa, vel contra sententiam recursus interpositus per altius dicasterium significetur.

§. 8. Quandoque autem ad tempus tantum differetur executio, donec impedimentum superveniens cessaverit, utpote: si foemina condemnata comperiretur esse gravida; si Reus intermedio tempore non fecte, sed revera usum rationis amisisset, vel in gravem morbum incideret.

§. 9. Caeterum in sententia capitali condemnatorum legalis de Bonis suis acquisitis disponendi activitas juxta Leges patrias porro quoque in salvo permanebit.

§. 10. Res vero alienae, quae suis veris Dominis, si comperiri possunt, gratis reddendae veniunt, si instituta per Regnum debita currentatione, intra triennium nemo se pro recuperatione earum insinualet, aut semet insinuans, jus suum circa easdem edocere nequiret, elapso a publicatione currentatorii Intimati triennio, ad cassam publicam Jurisdictionis illius delabentur, in cujus gremio delinquens judicatus est.

§. 11. Reliquas sententias, quae poenam Capitaalem non involvunt, tantum in Judicio, praesente tamen delinquente, valvis Praetorii apertis publicare, proque earum executione, si illa in loco celebrandis consessibus Judicii destinato fieri debuerit, unum e Cojudicibus exmittere sufficiet.

§. 12. Quodsi autem poena verberum, aut alia publica in ipso loco patrati delicti, circumstantiis id exigentibus, et admittentibus, delinquenti infligenda veniret, sententia etiam ibi lingua populi nativa praevis publicanda, non jam per unum e Cojudicibus, sed e Civili Jurisdictione requirendum exequenda veniet.

§. 13. Denique cum et id societatis Civilis principiis adversetur: quod Justitiae executores, qui tribunalibus ad exactum ordinem servandum tantopere necessarii sunt, falsa vulgi opinione pro inhonestis habeantur: hinc ut abusus hujusmodi imposterum penitus tollatur, iidem ad omnes effectus Civiles, perhibendaque testimonia aequae ac reliqui Cives admittendi, et aequae omnibus illis Juribus gaudere declarantur, quae in genere cuique Societatis membro competunt; atque ideo nemini licebit eisdem vitae genus obijcere, vel ex hoc titulo aliquam contra illos formare exceptionem.

#### ARTICULUS XVIII.

##### *De Aggratiatione.*

§. 1. Jus aggratiandi est potestas Majestati Regiae per leges tributa poenas delinquentibus per sententiam Judicis ex lege dictatas: aut relaxandi aut mitigandi.

§. 2. Cum autem tam publica quam privata Civium in Civitatem coalescentium securitas exigeret: et legum effectus procuretur, adeoque poenae in delicta statutae suo non careant effectu, hinc Regia Sua Majestas Jure hocce sibi per leges concesso non utetur, nisi ubi peculiare circumstantiae, aut salus publica gratiam eandem concedendam exegerint.

§. 3. Ad Thronum hunc gratiarum recursus prout nemini praeccluditur, ita nec Judiciis imponi potest; nec per illum ex officio praestari debet.

PARS SECUNDA  
DE  
DELICTIS EORUMQUE POENIS.

---

*Delicta adversus Securitatem Publicam.*

ARTICULUS I.

*De Nota Infidelitatis.*

§. 1. Qui Fide, qua Regi et Patriae suae obstringitur violata, sive internam, sive externam Status publici securitatem hostiliter impetit, in genere notam infidelitatis incurrit. Ex quo consequitur exteros, exterarumque Potentiarum Legatos, in casibus hujusmodi ut hostes considerandos, sub dispositionem legis istius haud recidere. Diversae tamen delicti hujus sunt species.

§. 2. Aliud enim est Personae Regiae tanquam Status publici capitis aggressio, quod etiam velut personalem Regis Majestatem afficiens, proprie sub nomine Criminis Laesae Majestatis venit. Aliud, si quis contra externam aliud demum, si contra internam Status publici securitatem deliquerit.

§. 3. Quicumque igitur in libertatem, vel salutem Personae Regiae conspirat, insidias vitae ipsius struit, aut violentas in eandem seu mediate, seu immediate manus injicit, pro aggressore Majestatis Regiae reputatur.

§. 4. Contra externam Reipublicae securitatem delinquit, quicumque externis semet Regni hostibus associando, qualitercunque in detrimentum publici cum iisdem colludit; arma, aut victualia hostibus, extra eorum potestatem constitutus, malitiose subministrat; Praesidia Regni, ac partium eidem adnexarum hostibus prodit; securitatem publicam

concernentia secreta manifestat; legationes ab hostibus suscipit, aut mittit; hisque similes externae Reipublicae securitati perniciosos cum ipsis tractatus habet; aut pacem, inducias, vel etiam salvum conductum exterae nationis repraesentantibus debitum violando, bello causam praebet.

§. 5. Internam Reipublicae securitatem succutit, qui Regis auctoritatem, potestatisque, sive legislativae, sive executivae exercitium, legalemve regiminis Formam, vi, armisque, aut etiam ad vim, armaque suscipienda perniciose concitatoriis dictis, divulgatis scriptis, aut quibuscunque actibus, dolo malo evertere satagit.

§. 6. Quod normam processus delictorum horum attinet, in hac eadem omnia observabuntur, quae pro delictis aliis in Codicis istius parte 1-ma constituta sunt, eo unice subnexo: quod in Crimine Laesae Majestatis, attentatum etiam delictum pari poena, ac consumatum afficietur, nisi quis a proposito delicto, antequam ex eodem effectus quispiam sequeretur, poenitentia ductus, sponte recesserit; quo in casu delictum hoc nonnisi juxta poenas pro gradibus culpae hoc articulo stabilitas puniendum erit.

§. 7. Et quamvis in reliquis quoque notae infidelitatis speciebus, diversi culpae, vel malitiae gradus discerni possint, in malitiosa tamen personae Regiae aggressionem, ob ipsam Criminis istius gravitatem, reflexio ad diversos malitiae gradus haberi nequit; eapropter in Laesae Majestatis Crimine, malitia delinquentis manifesta existente, illa semper poena dictabitur, quae in malitiae gradu 3-tio pro reliquis notae infidelitatis speciebus constituitur.

§. 8. Caeterum tam in praeinserto laesae Majestatis Crimine, quam reliquis etiam contra Status publicae securitatem perpetrands Criminibus, poena culpae gradus 1-mi sunt carceres a die uno ad annum integrum; gradus 2-di ab anno uno ad triennium; gradus 3-tii a triennio usque quinquennium. Malitiae gradus 1-mi poena sunt itidem carceres a quinquennio usque decennium; gradus 2-di a decennio usque ad mortem; gradus 3-tii est mors, ac bonorum ad delinquentis tantum ratam, un sensu articuli 56-ti 1791. restricta amissio; praeterea in gradu hoc exasperatio

etiam juxta principium 12-mum Codicis istius locum habet. Bonorum tamen nec occupatio, neque conscriptio ante sententiam fieri poterit.

## ARTICULUS II.

### *De delictis adversus Jura Regis, et Regnicolarum.*

§. 1. Poena, quia iidem affiendi sint, qui Regis, Statuumve, ac Ordinum Regni Jura, vi, armisque evertere satagunt, ad notam infidelitatis jam expressa; articulo isto delicti adversus Regis, ac Regnicolarum Jura nonnisi ii Rei esse declarantur,

a) Qui Jura soli Regiae Majestati competentia exercendo, eadem usurpant,

b) Qui legalem Regis Autoritatem,

c) Legale potestatis sive legislativae, sive executivae exercitium,

d) Legalem Regiminis Formam,

e) Aut etiam aperta Statuum, ac Ordinum Regni Jura palam, et publice, dictis, vulgatis scriptis, aut quibuscunque actibus malitiose, absque tamen vi, et armis, subruere satagunt; vel Juribus iisdem facto contravenire praesumunt.

§. 2. In delictorum horum dijudicatione praeprimus damnum, ver periculum publico imminens, atque culpa, vel malicia delinquentis in considerationem assumetur, poenaque huic proportionata dictabitur. Erit autem.

§. 3. Poena culpae gradus 1-mi carcer a die uno ad menses tres; gradus 2-di a mensibus tribus ad sex; gradus 3-tii a sex mensibus ad annum integrum. Malitiae gradus 1-mi poena erit ab anno uno ad duos; gradus 2-di ab annis duobus ad tres; gradus 3-tii ab annis tribus ad sexennium.

## ARTICULUS III.

### *De Seditioe, et Tumultu.*

§. 1. Seditio est vi, aut aut armis, in societate plurium, contra legitimam potestatem sui erectio; quae si ex improviso suscepta, et mox composita, suisque in initiis sopia fuerit, tumultus nomine venit.

§. 2. Sub potestate vero legitima intelliguntur: Regis mandata legali sua via emanata, et publicata; item Magistratus publici, et locales, Domini terrestres, et eorum officiales, horumque subalterni, uti etiam personae Ecclesiasticae, ac militares in actuali, et ordinario muneris sui exercitio constitutae, aut per legitimam Jurisdictionem exmissae.

§. 3. Seditiois itaque reus erit, non tantum, qui vi aperta, aut armis in societate plurium procedentes ex officio impediverit, sed etiam que clancularios conventus fine illo celebraverit, aut dictis, ac scriptis divulgatis alios animaverit: ut vi, armisque potestati legitimae sese opponant.

§. 4. Poena delicti hujus in culpa gradu 1-mo sunt carceres a die uno ad mensem; in gradu 2-do a mense uno ad menses sex; in gradu 3-tio a mensibus sex ad annum unum. In malitiae gradu 1-mo ab anno uno ad tres; in gradu 2-do ad annos sex; in gradu 3-tio est mors, circumstantiis exigentibus, juxta principium 12-mum Codicis istius, etiam exasperanda.

#### ARTICULUS IV.

##### *De Salvi Conductus Violatione.*

§. 1. Salvus conductus in genere est securitatis sub fide publica appromissio. Competit ille: 1-mo omnibus exterae nationis legatis; 2-do omnibus in officii publici actuali funtione constitutis.

§. 2. Salvum igitur conductum violant:

a) Qui exterarum nationum legatos munus suum actu obeuntes in persona vel domesticis,

b) Cursores publicos, vulgo curier, cum literis potentiae exterae comiteantes,

c) Quoscumque alios specialibus literis credentialibus a Rege, vel natione inimica, aut non inimica, penes specialem salvum conductum in negotio publico expeditos, scienter detinere, verberibus, aut contumeliis afficere, aut etiam in rebus damnificare praesumserint; quin tamen per hoc bello causam praebeant, cui delicto jam in Articulo 1-mo poena constituta est.

§. 3. Violati itidem salvi conductus Rei sunt :

d) Qui ad Diaetam ex officio proficiscentes, inque eadem commorantes, aut exinde redeuntes,

e) Magistratuales, atque in officiis publicis constitutos, in officiorum suorum functione actualiter, et legitime procedentes,

f) Judices, et testes muneri suo actu vacantes,

g) Quoscunque denique literis salvi conductus Regis, aut Palatini provisos, qualicumque paragrapho proxime praecedente recensita injuria afficere attentaverint.

§. 4. Praeter plenam damnificati indemnisationem, in delicto hoc poena Culpaе gradus 1-mi est Carcer a die uno ad mensem; gradus 2-di a mense uno ad tres; gradus 3-tii a mensibus tribus ad sex. Malitiae gradus 1-mi a mensibus sex ad annum; gradus 2-di ab anno ad duos; gradus 3-tii ab annis duobus ad tres.

#### ARTICULUS V.

##### *De Violentia publica.*

§. 1. Violentia privata privatae civium Actioni Jure nostro relinquitur; atque Actionis publicae objectum Violentia solum publica, sive recepto apud nos nomine, invasio cum gentibus constituit; ut primum enim securitas publici, seu necis, verberationis, ac damnificationis aliorum periculum subversatur, actus talismodi vindicatio privato partium arbitrio deferri nequit.

§. 2. Violentia igitur publica est Securitatis, qua quilibet Concivium sub protectione publici frui debet, ex odio, aut pravo quocunque affectu alio, in societate plurium invasio. Hancque committunt :

§. 3. Qui privatas suas inimicitias, aut quascunque injurias ulturi, tot sibi ad invadendum violenter alium socios assumunt: ut ex invasione talismodi, publicae quieti, ac securitati praejudiciosi actus sequi facile possint; aut etiam, qui taliter comparati, sive propter territoriorum limites, sive cujuscunque proprietatis acquirendae, aut manutenendae causa hostiliter alios agrediuntur.

§. 4. Et quia reperiuntur aliqua, quae sub protectione publici specialiter constitui consentur; publicam quoque violentiam committunt, qui Functiones publicas, uti legales Civium congregationes, Nuptias, Funera, similesque actus publicos turbant; uti etiam qui templa, atque eorum pertinentia aedificia publica, sepulcraque publica violant.

§. 5. Est etiam ratione objecti species violentiae publicae, si quis Urburarium, vel auri lotorem legali investiture montanistica provisos, in exordio, aut prosecutione cultivandae Fodinae, vel auri loturae violenter impedire sustineret, licet assumptos plures ad violentiam non adhiberet, neque verberatio, aut mors intercederet.

§. 6. Praeter illati damni refusionem, poena in delicti hujus gradu culpae 1-mo sunt carceres a die uno ad mensem; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a sex mensibus ad annum; in gradu 2-do ab anno uno ad triennium; in gradu 3-tio a triennio ad quinquennium.

#### ARTICULUS VI.

##### *De Terminis motione, sive Metarum destructione.*

§. 1. Metae, seu termini dicuntur quodlibet signum ad indicandos fines territoriorum ordinatum. Quicumque igitur fines autoritate publica stabilitos turbat, signaque ad discernenda possessoria posita consulto evellit, aliove modo corrumpit, is destructarum metarum, seu termini motionis reus est; quin tamen processus metales ad actionem publicam pertrahi valeant, in quantum de proprietate metis controversis inclusi privatorum fundi agitur.

§. 2. Atque ita omnis violenta, vel dolosa certi metallis termini immutatio in damnum alterius facta, sub nomine metarum destructionis, sive termini motionis, autoritate publica vindicabitur. Inmutatio autem ista fieri potest metas evellendo, ejiciendo, transponendo, et quacunque ratione alia, qua pristinus ipsarum status immutatur.

§. 3. Poena delicti hujus in culpae gradu 1-mo sunt carceres a die uno ad mensem; gradu 2-do a mense uno

ad tres; gradu 3-tio a trimestri ad menses sex. Malitiae gradus 1-mi a mensibus sex ad annum; gradu 2-do ab anno uno ad biennium; gradu 3-tio a biennio ad triennium.

#### ARTICULUS VII.

##### *De involatione in Jurisdictionem Magistratualem.*

§. 1. Involatio in Jurisdictionem Magistratualem generatim committitur: si actus aliquis suscipiatur, qui alias soli legitimo Magistratui competit; atque ita in Magistratualem Jurisdictionem involatio est potestatis Magistratualis privativa usurpatio.

§. 2. Ad casus Involationis referuntur:

a) Qui mulctas, aut Birsagia qualiacunque, arrogatae sibi autoritatis praetextu, exigunt, vel extorquent.

b) Qui Limitationes, Conscriptiones, Assignationes, Currentationes Publicum respicientes, aliaque pure ad Magistratualium munus pertinentia sibi arrogant.

c) Qui in carceribus privatis quempiam illegitime detinent.

§. 3. Poena Delicti hujus, praeter plenam indemnisationem, in culpae gradu 1-mo sunt carceres a die uno ad quindecim; in gradu 2-do a diebus quindecim ad mensem unum; in gradu 3-tio ad menses duos.

Cui tamen poenae apud facultatibus pollentes mulcta pecuniaria juxta Principium 23-tium substituetur.

In Malitiae gradu 1-mo sunt itidem Carceres a mensibus duobus ad tres; in gradu 2-do a mensibus tribus ad quatuor; in gradu 3-tio a mensibus quatuor ad sex.

§. 4. Quodsi tamen in personae cujuspian detentione extraordinaria quaequam malitia observetur, uti videlicet, si fame, verberibusve, detentus maceretur, aut longiori tempore in Carceribus privatis illegitime quispiam, praesertim publica dignitate, aut praerogativa conspicuus, detineatur, tunc juxta gradus malitiae delinquentis, idem ad plurimum etiam annorum carceres, habita semper ad tempus, modumque detentionis reflexione, condemmandus erit.

## ARTICULUS VIII.

*De Violatione Custodiae publicae.*

§. 1. Custodiam publicam violat, qui, seu securitatis, seu poenae causa per Jurisdictionem publicam detentus, eidem semet qualitercunque subtrahit.

§. 2. Si sub custodia constitutus ex eadem profugiat, antequam super eo, ob quod detinetur, Sententia lata fuerit, neque occasione profugii vim adhibuisse, alios ad profugium persvasisse, aut qualicumque novo se delicto obstrinxisse probari possit, profugium talismodi nec pro aggravante delicti principalis circumstantia reputabitur.

§. 3. Quodsi autem jam ad poenam condemnatus evaserit, etiamsi nullius alterius novi delicti reus esse deprehenderetur, ob hanc solum Jurisdictioni publicae attentatam elusionem, ad exemplum aliorum, durioribus carceribus, vinculisque gravioribus mancipabitur, et pro circumstantiarum diversitate, carcerum poena in verbera quoque commutanda castigabitur.

§. 4. Delicti praeterea istius Reus esse poterit quis-  
cunque alter, si cuiquam, quem Magistratus detinet, praestito auxilio, consilio, aut qualicumque occasione, fugam faciliorem efficit, quo nimirum is, seu fraude, seu vi e carceribus evadat; praesertim vero si id attentet carcerum, aut Aresti Praefectus, ejusdemque subalterni, vel etiam superior Jurisdictione publica praedita Magistratualis Persona. Ad quorum omnium delicti gravitatem determinandam, gravitas etiam delicti, per dimissum delinquentem commissi, in considerationem sumenda erit.

§. 5. Si occasione talis profugii novum quodpiam delictum committeretur, in ferenda sententia ad codicis istius principium 13. reflectetur.

Secus autem, praeterquam quod damnum omne per illum, qui fugam tentaverit, aut qui auxilium ipsi praestiterunt, refundi debeat.

§. 6. Poena culpae gradus 1. est carcer a die uno ad mensem; gradus 2. a mense uno ad tres; gradus 3. a

mensibus tribus ad sex. Malitiae gradus 1. a mensibus sex ad annum unum; gradus 2. ab anno uno ad duos; gradus 3. ab annis duobus ad tres.

#### ARTICULUS IX.

##### *De occultatione Delinquentium.*

§. 1. Occultatio delinquentium est omnis ejusmodi actus, quo delinquentes legali Jurisdictioni subtrahuntur.

§. 2. Et ideo delicti hujus rei sunt:

a) Qui quemdam e carceribus profugum, aut quemcunque alium, quem delinquentem esse, aut a Jurisdictione quaeri norunt, apud se occultant.

b) Qui corpus delicti, e. g. cadaver occisi, rem furto sublatam, Instrumenta perpetrati criminis, hisque similia ad delictum detegendum deservientia, seu apud se, seu in alio quopiam loco recondita tenent.

c) Qui delinquenti alias vestes induendu, Passuales scribendo, aut quovis alio modo opem fert, ne a Jurisdictione detegi possit.

d) Qui Servitores publicos delinquentem perquirentes, mendaciis, minis, aut quacunque ratione alia deludunt, ne delinquentem reperire valeant.

§. 3. Si delinquens fuga elapsus ad satisfactionem cogi amplius non possit, justum est: ut loco ejusdem occultator ipsius, tanquam fidejussionem pro ipso tacite assumens, ad satisfaciendum obligetur.

§. 4. Caeterum delicti hujus gravitas a gravitate potissimum delicti, quod occultatus delinquens commisit, si delictum ipsi cognitum fuisse probabitur, metienda erit. Eapropter, quamvis occultator delinquentis nullum alium ad delicti perpetrationem influxum habuerit, semper tamen ut complex ejusdem tractabitur, ac delicto, quod occultatori cognitum erat, proportionata poena, juxta gradus culpae, vel malitiae punietur; exceptis tamen iis, qui juxta codicis istius partis 1-mae art. 1-mum neque ad denunciationem obligantur.

## ARTICULUS X.

*De Fautoratu desertorum Militum.*

§. 1. Fautoratus desertorum est quaecumque subsidium, Militi, aut Servo ad Exercitum pertinenti, ad deserendam Militiam praestitum.

§. 2. Huic itaque delicto implicantur:

a) Qui militem ad deserendam Militiam qualicumque sub praetextu concitant.

b) Qui ad actum desertionis directe quidem non influit, sed subseque desertorem consilio, aut opera, ne detegatur, adjuvat.

c) Qui desertoris persecutores, seu vi, seu dolo ab inveniando desertore impedit.

d) Qui militarem habitum, aut arma emendo, commutando, abscondendo, desertorem, dum absque periculo proprio superioritati indicare posset, non indicando, aut quacumque demum ratione alia, desertionem faciliorem, investigationem autem, atque detectionem difficiliorem reddiderit.

§. 3. Caeterum per se patet: hoc quoque in delicto Jus naturae prae oculis habendum esse; et ideo in praeexpositis delicti istius tribus posterioribus casibus, parentes, proles, conjuges, cognatique, et affines in primo consanguineitatis, et affinitatis gradu poena immunes erunt.

§. 4. In casu autem quolibet praeprimis curandum erit: ut e delinquentis substantia damnum Aerario Regio illatum compensetur; et quidem pro singula, sive Peditis, sive Equitis desertoris persona flii 24; si vero Eques una cum equo profugisset, insuper flii 40. dependantur. Si tamen desertor una cum equo, armis, vestibusve interciperetur, ejusdem Fautor tantummodo ad deteriorationis, facto ejusdem in his fortasse interventae, compensationem adstringetur.

§. 5. Poena delicti hujus in culpa gradu 1. sunt Carceres a die uno ad mensem integrum; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus tribus usque sex. In Militiae gradu 1-mo a mensibus sex usque annum;

in gradu 2-dó ab anno uno ad duos; in gradu 3-tio ab annis duobus usque tres. Quibus in omnibus malitiae gradibus labores quoque praesidarii adjicientur.

#### ARTICULUS XI.

##### *De Crimine Ambitus.*

§. 1. Crimen ambitus est Officiorum publicorum mediis illicitis consecratio. Atque criminis istius rei sunt non tantum, qui mediis illicitis Officia publica consecrantur, sed qui etiam illicitis his mediis cooperantur. Largitiones autem, et quaecunque alia, praeter vera merita, illicita sunt ad acquirendos honores publicos media.

§. 2. Poena delicti hujus, praeter numerum hoc finitorem, vel acceptorum cassae publicae, inferendam in duplo restitutionem, pro munus ambiente erit ad omnia publica munia incapacitas, pro cooperante vero Juris suffragii amissio.

#### ARTICULUS XII.

##### *De iis, qui concredito sibi munere publico abutuntur.*

§. 1. Munere suo abutitur:

a) Non tantum Judex, sed quilibet in officio publico constitutus, si abilis, quibuscum officii causa tractare debet, munera exigat, pactet, vel sponte oblata, ejusdem officii causa acceptet, vel plane pactatis, aut acceptatis muneribus officium suum fide non integra expleat.

b) Hujus etiam delicti rei sunt causarum Advocati, et Agentes, qui prodita dolo malo principalium suorum causa, secreta ipsorum parti adversae revelant, aut quaecunque demum alia ratione cum illa colludunt.

c) Non secus, qui ad illa, quae sibi vi muneris Magistratui indicanda obstricti sunt, suo tamen silentio efficiunt, ut delicta impunita maneant, aut quodcunque aliud publico exinde detrimentum enascatur; uti etiam

d) Postarum Magistri, et Officiales, horumque subalterni, qui literas sibi fide publica concreditas violaverint; prout et Camerales, et Urburariatus Montanistici Officiales,

qui in collatione Fodinarum, inprotocollatione, ratiocinio, vel quocunque alio officioso actu interessati, fraudulentum, negligentes, aut per officiosum suum actum damnus alicui Urburario, vel laboratorum dolo malo, vel culposa negligentia causasse comperti fuerint.

e) Non secus infideles, fraudulentique Orphanorum Tutores.

f) Judex cambio-mercantilium Judicium, si inquisitionem secretam dolo malo manifestaverit.

g) Delicti vero istius complex censendus est, qui personam in officio publico constitutam, aut ejusdem domesticos, seu mediate, seu immediate oblatis muneribus, aut quibuscunque promissis eo inducere conatus fuerit: ut idem munere suo abutatur, sive tandem voto potitus fuerit, sive minus, per id propria, sive aliena commoda quaesiverit.

§. 2. Praeter damnorum, ac expensarum refusionem, item accepti doni praestandam in duplo ad cassam publicam persolutionem, pro dona acceptante in delicti hujus culpae gradu 1-mo loco poenae reprehensio publica sufficiet; in gradu 2-do ab officio ad tempus suspensio; in gradu 3-tio perpetua ab officio amotio. In malitiae gradu 1-mo ad quaevis munia publica incapacitas; in gradu 2-do publica praeter haec divulgatio; in gradu 3-tio ad columnam infamem expositio.

§. 3. Quia vero muneribus in officio publico constitutos corrumpere volentes in culpa versari nequeunt, semperque malitia subversatur; in malitiae gradu 1-mo est oblatis doni in decuplo ad cassam publicam refusio, vel apud facultatibus haud provisos sunt carceres a die uno ad annum integrum; in gradu 2-do ad annos duos; in gradu 3-tio ad annos tres cum expositione ad infamem columnam.

### ARTICULUS XIII.

#### *De Cassarum publicarum contrectatione.*

§. 1. Quicumque cassas publicas contra datam fidem violat, delicti hujusreus est.

§. 2. Publicarum autemassarum nomine veniunt:

a) Cassae Regiae, uti sunt: Generales Cassae Percep-

torales, Tricesimales, Proventuum Salis, Postales, Metallifodinarum, Bonorum item Coronarium, ac Cameralium.

b) Publica Regni Cassa.

c) Cassae Fundi Religionarii, Studiorum, Domus Fiduciariae, Correctoriae, Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Ecclesiarum, et quarumcunque Foundationum publicarum.

d) Cassae omnium publicarum Jurisdictionum; et quarumlibet Communitatum, per quas pecuniae publicae, aut sub publici protectione existentes manipulantur.

§. 3. Eisdem vero cassas violant non solum qui paratas pecunias jam in cassa praeexistentes in suos usus convertunt, sed etiam illi, qui apud se depositas publicas, aut sub protectione publici existentes pecunias, aut alia quaecunque malitiose contrectant, collectas vi muneris sui pecunias cassae non inferunt, aut vero pro naturalibus, vel materialibus ad publicum pertinentibus incassatas dolo malo pro se reservant, in damnum permutant, aut ipsa etiam naturalia, vel materialia sibi appropriant.

§. 4. Praeter damnorum, expensarumque refusionem, poena culpae gradus 1-mi est carcer a die uno ad mensem; gradus 2-di a mense uno ad tres; gradus 3-tii a mensibus tribus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a mensibus sex ad annum integrum; in gradu 2-do ab anno uno ad quinque; in gradu 3-tio ab annis quinque ad decem; adjecta etiam, circumstantiis exigentibus, ad columnam infamem cum initio poenae expositione.

#### ARTICULUS XIV.

*De Monetae, chartarumque publicarum confectione, et falsificatione.*

§. 1. Delicti hujus Reus est:

a) Qui e viliori, quam in Regno recepta est, materia, ac pondere, sive liga monetam cudit.

b) Qui monetam legitimam circumcidit, aut quacunque ratione alia deteriorat.

c) Qui publicas Aerarii Regii Chartas, quae seu per se tantumdem, ac pecunia valent, seu ad quas exhibitas,

publicum quoddam Aerarium solutionem praestare debet, imitari ausus fuerit.

d) Qui genuinas in se publicas Aerariales Chartas majore in summa, ac primitus continebant, dolose inscripta vitiat.

§. 2. Complices delicti hujus censendi sunt: qui instrumenta, sive ad corrumpendas publicas chartas, sive ad cudendam monetam idonea conficiunt, eademque scienter subministrant; qui domos suas ad opus talismodi commodant; qui monetam falsam in quantitate 50 florenorum scienter expendunt, aut quocunque alio modo ad monetae, aut chartarum publicarum adulterationem quidpiam conferunt.

§. 3. Caeterum hoc quoque in delicto socii a complicibus rite discernendi; praeterea ad quantitatem etiam monetae, sive cusae, sive expensae reflectendum erit.

§. 4. Praeter damnorum, ac expensarum refusionem poena delicti hujus erit in gradu 1-mo culpae carcer a die uno ad menses tres; in gradu 2-do a mensibus tribus ad sex; in gradu 3-tio a sex mensibus usque annum. In malitiae gradu 1-mo ab anno uno ad tres; in gradu 2-do ab annis tribus ad quinque; in gradu 3-tio ab annis quinque usque decem. Ubi tamen periculum subversabitur: quod delictum talismodi cum d.anno publici per delinquentem denuo attentandum sit, item ad mortem usque sub custodia detinendus erit.

#### ARTICULUS XV.

##### *De falsa Delatione, sive Calumnia.*

§. 1. Falsa delatio, sive calumnia est dolosa, aut saltem culposa cujuspian pro innocente comperti de delicto accusatio. Culpa igitur, aut malitia, sive nocendi studium ad delictum istud requiritur; si quis enim ex amore publici, aut timore imminentis publico damni, fundatisque ex indiciis quempian competenti Magistratui detulerit, ad poenam attrahi haud potest.

§. 2. Calumniae porro reus est: si quis alterum fallimenti falso accusaverit, vel secretam aetenus, coram Judicio cambio-mercantili, inquisitionem malitiose procuraverit.

§. 3. Delicti vero istius gravitatem auget: si falsus accusator publica sit persona, aut plane publico accusatoris, seu Fiscalis fungatur officio.

§. 4. Praeter damnorum, ac expensarum refusionem, poena delicti hujus eadem erit, si incusatus poenam reipsa sustinuisset, quae in ipsum delictum, de quo accusatio instituta erat, per legem statuta est; secus autem, reflexione non solum ad objecti delicti gravitatem, sed ad incusantis quoque culpam, vel malitiam, ac ad principium etiam 5-tum Codicis hujus habita, eidem tanquam in delicto nondum consummato, poena gradui illi, quem incusatus subire debuisset, proxima dictabitur. Bonorum vero amissio tanquam legibus nostris non nisi ad expressos Notae Infidelitatis casus restricta, in hac delicti specie locum non obtinebit.

#### ARTICULUS XVI.

##### *De Falsis Testibus, seu Perjurio.*

§. 1. Publica etiam exposcit securitas, ne Judicia per testes, falsa pro veris obtrudentes, deludantur; cum enim a Judiciis saepissime Civium vita, honor, et fortunae, ac tota fere interna reipublicae securitas dependeat, per falsos testes haec omnia periculo, ipsaque Judiciorum, ac juramenti sanctimonia ludibrio exponitur.

§. 2. Est autem falsus testis, quicumque juramento firmato coram Jure mendacio alium damnificaverit, aut damnificare voluerit. Et quia Juramentum, sive Jusjurandum est ad fidem dictis faciendam divini testimonii invocatio, perjurium erit quodlibet falsum juramentum, sive Falsum sibi jurisjurandi Religione admissum.

§. 3. Cum perjurus fraudi suae Religionis speciem praetextat, et mendacio summi quoque numinis contemtum adjungat, perjurium graviori quam simplex falsum poena puniri debere clarum est. Sed et in perjurio diversi gradus esse possunt; ita perjurium culposum levius coërcendum est; quam dolosum; non secus extrajudiciale, et extemporaneum, quam Judiciale, ac praemeditatum. Quin in Judiciali etiam

gravius est illud, quod in continenti, quam quod subseque diversis in contrarium motivis occurrentibus committitur.

§. 4. Caeterum sola voluntas ad delictum istud sufficit, neque requiritur: ut effectiva damnificatio subsequatur, quamvis a damni, quod delinquens inferre meditabatur, quantitate, delicti quoque quantitatem crescere oporteat. Si tamen testis ita fateatur, prout interne convictus est, licet a veritate aberret, falsi tamen testimonii neutiquam ipsum argui posse alioquin patet. Nec solum in criminalibus sed in civilibus quoque causis depositum falsum testimonium actione publica vindicatur, cum utrobique judiciorum sanctimonia, fidesque publica violetur.

§. 5. Praeter damni, causatarumque expensarum refusionem, poena delicti hujus in culpae gradu 1-mo est carcer a die uno ad mensem; in gradu 2-do a mense uno ad tres, in gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a sex mensibus ad annum unum; in gradu 2-do ab anno uno ad duos; in gradu 3-tio ab annis duobus ad tres, cum expositione ad infamen columnam. Quodsi tamen falsus testis delictum graviori poena, quam hic expressae sunt, obnoxium, perjurio suo conjicere in alterum attentaret, idem pro circumstantiarum diversitate, ut calumniator, juxta articulum 15-tum tractabitur.

#### ARTICULUS XVII.

##### *De Testificationis denegatione in Causis publicis.*

§. 1. Testificationis denegatio reipsa non est aliud, quam contumacia erga praemissam legitimam requisitionem, et hac non sufficiente, Judicariam admonitionem competentis Judicis, necessariam pro veritatis elucubratione fassionem, a teste Jurisdictioni suae obnoxio exigentis.

§. 2. Delicti interim istius non solum ille Reus est, qui erga legitimam Judicis requisitionem, subsecutamque admonitionem pro perhibendo in causa publica testimonio, ad Judicium non comparet, sed et illi, qui alios a perhibendo testimonio impediunt.

§. 3. Praeter damni, renitentia hac fortasse interventi bonificationem, poena delicti hujus est mulcta marcarum

16. toties, quoties testificatio denegata fuerit, pro cassa publica desumenda. Apud illos autem, qui facultatibus destituuntur, loco mulctae pecuniariae, poena carcerum, aut etiam verberum, juxta praeinserta codicis istius principia substituetur.

#### ARTICULUS XVIII.

##### *De Saevitie in Jurisdictionatos.*

§. 1. Sub saevitie intelliguntur dirae per Jurisdictione seu publica, seu Dominali pollentes, in sibi subordinatos, absque ulla legali forma exercitae verberationes, incarcerationes, et cujuscunque speciei crudelitates.

§. 2. Praeter illati damni refusionem, poena delicti hujus in culpa gradu 1-mo sunt carceres a die uno ad mensem; gradu 2-do a mense uno ad tres; gradu 3-tio a tribus mensibus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a sex mensibus ad annum integrum; gradu 2-do ab anno uno ad duos; gradu 3-tio ab annis duobus ad tres.

##### *Delicta vitae Civium, corporisque incolumitati noxia*

#### ARTICULUS XIX.

##### *De Homicidio.*

§. 1. Homicidium est quaelibet caedes hominis injuria facta. Occisio itaque hominis, mero casu, aut necessario, justoque peracta modo, pro delicto homicidii reputari nequit, verum culpa semper, vel malitia, sive dolus intercedere debet: ut poena dictari possit.

§. 2. Homicidium qualificatum a modo, causa, aut personis, in quas committitur, demonimatur. Ita si homicidium in pluribus personis, aut gravida muliere, in amico, ac benefactore, in persona peculiaris in Societate Civili distinctionis, modoque, ac malitia extraordinaria perpetretur, qualificatum erit. Illud autem, cui nihil accedit, quo delicti gravitas, praeterquam natura sua, augeatur, homicidium simplex dicitur.

§. 3. Peculiares homicidii qualificati species ob speciales quaspiam in iisdem occurrentes circumstantias in Codice

hoc distinctim quidem ab invicem considerantur, in iisdem tamen, tam poenae, quam eadem generales obtinent regulae, quae ad Crimen homicidii in genere praestituuntur. Sunt autem sequentes:

*a)* Homicidii dolosi reus est non modo qui manus letiferas alteri intulit, sed etiam qui directam mortis causam praebuit, e. g. aliquem includendo, victumque ipsi subtrahendo.

*b)* Quisquis letifero alterum instrumento aggreditur, si ex aggressionem hac mors sequitur, dolosi homicidii reus est, nisi forte casum fortuitum, aut ipsiusmet occisi factum, mortis causam exstitisse comprobari valeat.

*c)* Cum contingat saepius: ut curatio inflicti per quempiam vulneris diutius duret, laesus vero intra hoc tempus, sive e mala cure, sive quocunque alio ex incidenti, in alium etiam letalem morbum incidere possit, atque ita saepe vulneratus e vulnere non letali moriatur, absolute autem letaliter vulneratus vitam diutius quoque extrahere possit; ad definiendum id, num laesus e vulnere obierit, non tantum Medicorum, ac Chirurgorum testimonia, sed omnes etiam actum concomitantes, et consequentes circumstantias Judici expendere oportebit.

*d)* Ut quis pro homicida censi possit, debuit mortis solus, aut in societate alterius auctor esse, secus tantummodo pro complice reputabitur, adeoque mitius principali delinquente punietur.

*e)* Mandanti caedes imputari haud potest, si Mandatarius verberationem aut etiam vulnerationem in commissis habens, datam sibi commissionem excesserit, necemque alteri intulerit. Sed neque homicidii dolosi reus est, qui violentas sibimet ipsi manus inferre volentem non impediverit, aut etiam qui iubentem alterum occidi, ad evitandum sui periculum interemerit; dummodo e facti circumstantiis secus dolus non appareat.

*f)* Cum in delictis praecipue voluntas, non vero effectus spectandus sit, si quis alterum volens occidere talem per errorum occidat, cujus caedes homicidium qualificatum efficit, simplicis attamen, non qualificati homicidii reus esse censebitur.

*g)* Inspectio, sectioque cadaveris occisi ne tunc quidem praetermittenda est, quando vulneratus mox post acceptum vulnus obiit; saepe enim e cadaveris sectione aliae se evolvunt circumstantiae, quam primo obtutu apparebant. In judicanda autem vulnere letalitate in id unice advertetur: an vulneratus pro corporis, viriumque suarum conditione, temporis item, et loci adjunctis, necessario ex accepto vulnere vitam finierit. Neque a poena excusat delinquentem, si Medicus adstruat, vulneratum extraordinariis quibusdam adhibitis remediis sanari forsitan potuisse; quamvis multum alleviet, si probari possit, vulneratum, aut sua, aut Medici culpa, vel negligentia exspirassa. Quodsi vero dissentiant Medici, benignius praevallet iudicium.

*h)* Si caedes a pluribus simul complicibus patrata fuerit, Judicem imprimis in vero caedis auctore investigando sollicitum esse oportebit. Si tamen resciri nequeat, cujus reipsa facto vulneratus obierit, nisi deliberatus necem inferendi animus, praevidiumque propositum prodeat, homicidii dolosi poena locum non habet; sed omnes tanquam homicidii culposi Rei considerabuntur.

*i)* Ejusdem culposi homicidii reus est, qui praefinitos moderaminis inculpatae tutelae, sive mediis lenioribus deficientibus, necessariae defensionis suae limites transgressus fuerit.

*k)* Culposi pariter homicidii Rei sunt quicumque negligentia, aut culposa sua inscitia alios occidunt.

*l)* Et quia pro casuali homicidio non aliud statui potest, quam dum quispiam justo tempore, modo, ac loco, absque omni nocendi studio in re licita versatur, alter attamen hoc ejusdem facto occiditur; culposi homicidii tot sunt species, quot sunt actus secundum sanae rationis, ac Societatis civilis regulas illiciti, e quibus tamen mors alterius, licet ex improvise, consequitur.

*m)* Conatus homicidii poena quidem dolosi homicidii non plectitur, sed ejusdem actus, prout ad effectum proximus accesserit, severius, vel mitius puniendus, ac poenae culposi homicidii semper aequiparandus est.

*n)* In culposis, et dolosis homicidiis, praeter expensa-

rum, ac damnorum omnium refusionem, indemnitas etiam occisi conjugis, prolium, et parentum, locum semper obtinet; non autem in casualibus. Haec autem indemnitas, tam occisi, quam occidentis substantiae, ac circumstantiis, semper Judicis sententia mediante accomodabitur.

§. 4. In reliquo poena homicidii in culpa gradu 1-mo sunt carceres a die uno ad menses tres; in gradu 2-do a mensibus tribus ad sex; in gradu 3-tio a mensibus sex usque annum. In malitiae gradu 1-mo ab anno uno ad annos sex; in gradu 2-do ab annis sex ad duodecim; in gradu 3-tio ab annis duodecim usque mortem. In supremo autem malitiae gradu homicidiorum qualificatorum, qualia sunt: occisionis parentum, prolium, conjugum, fratrumque, et sororum gradus primi, praeterea intoxicationis puteorum, ubi reipsa mors subsecuta est, assassinii repetiti, et latrocinii, mors etiam, et quidem cum exasperatione, juxta principium 12-mum codicis istius pro poena dictabitur.

#### ARTICULUS XX.

*De Parricidio, ceterisque Jura Sanguinis violantibus caedibus.*

§. 1. Inter homicidia qualificata ipsis humanitatis, Jurisque naturae legibus adversa sunt illa, quibus Jura sanguinis violantur; nec tamen horsum caedes cujuslibet e cognatione referri potest.

§. 2. Apud nos qualificati talismodi homicidii Rei sunt :

a) Qui propriis parentibus, eorumque in gradu directo ascendentibus.

b) Prolibus, sive in matrimonio, sive extra illud progenitis, earumque descendentibus.

c) Conjugi legitimae, sua forma haud divortiatæ.

d) Inter cognatos, et affines commissum hoc delictum eo evadit gravius, quo vicinior cognationis, vel affinitatis gradus exstiterit.

e) Licet quidem pro parricidio reputari nequeat, suapte tamen intelligitur, ut homicidium qualificatum considerandum esse, si parenti, aut filio, filiaeve adoptivæ, vitrico, aut novercae, quin etiam si tutori, aut tutelato violentas manus inferendo, mors accelerata fuerit.

§. 3. Caeterum his quoque in delictis causae, modusque patrati delicti, omnesque alleviantes, et aggravantes circumstantiae in considerationem sumendae erunt, iisdemque rite expensis, gradus culpaе, vel malitiae determinabitur, atque expressa jam ad articulum de homicidio poena pronuntiabitur.

#### ARTICULUS XXI.

##### *De Infanticidio.*

§. 1. Prolium neonatarum occisio, infanticidium compellatur; quodsi enim post longius a nativitate temporis intervallum Proles a Parentibus interimantur, ausus talismodi jam articulo proxime praecedente, sub Prolicidio comprehenditur.

§. 2. Delictum hoc plerumque adversus proles extra matrimonium genitas committitur; atque ut illud praecaveatur, non tantum omnis uterum gestantium Foeminarum, aut etiam post partum, sive in templis, sive alibi quocunque sub praetextu poena, et prostitutio prohibetur, sed etiam illis, quae tempestive semet Jurisdictioni competenti insinuaverint, omnis e parte publici assistentia ad procurandam etiam ab illo indemnisationem, qui impraegnationis autor exstiterat, praestabitur.

§. 3 Neque requiritur: ut uterum gestans semet immediate Jurisdictioni publicae insinuare debeat; sufficit, si statum suum fidedignae personae, licet cognatione sibi junctae, ante partum detegat, haecque pró faciendis, absque tamen omni semet insinuantis molestia, ordinibus, id ipsum Jurisdictioni insinuet. Secus pro casu Infanticidii silentium tale pro aggravante semper circumstantia, atque in casuali etiam infantis morte, pro culpa reputabitur.

§. 4. Nec tantum spontaneus quilibet matris actus, ex quo juxta ordinarium, ipsique cognitum rerum cursum, mors infantis secuta est, sed etiam malitiosa omissio necessarii ad vitam servandam materni officii, ut infanticidium punietur.

§. 5. Complex autem delicti istius erit omnis, quicumque, sive ad graviditatem, sive partum tegendum, consilio, aut

opera cencurrit, aut qualemunque causam praebuit: ut infanticidium perpetraretur. Quodsi autem impraegnationis autor, aut vero parentes infanticidae eandem ad perpetrandum facinus animaverint, aut plane ad ipsum infanticidii actum concurrerint, graviori semper extraneis, et pro circumstantiarum diversitate, aequali etiam cum infanticida poenae subjicientur.

§. 6. Poena demum a proportione culpae, vel malitiae ex omnibus facti circumstantiis eruenda, reflexe ad articulum de homicidiis dictabitur.

## ARTICULUS XXII.

### *De Abortus procuratione.*

§. 1. Delicti hujus species sunt:

a) Si foemina visceribus suis vim inferat, seque uterum gestare sciens, tale quidpiam consulto suscipiat, quo abortus procurari, aut quoquo modo id effici possit: ut partus in lucem mortuus prodeat.

b) Si alter quispiam deliberato proposito foetum abigendi, gravidae mulieri, eadem invita, vel inscia, medicamentis, aut quibuscunque demum potionibus, abortum procurare satagat.

c) Si gravida mulier, fine isto, gravioribus verberibus male tractetur.

d) Criminis istius complices graviori saepe poena digni sunt; qui videlicet media ad procurandum abortum suggererint, aut quocunque alio modo ad praematuram foetus ejectionem scientes quidpiam contulerint.

e) Huc etiam pertinet sterilitatis procuratio; quodsi videlicet aliquis explendae libidinis, vel odii, vel cujuscunque pravi alterius affectus causa aliquid fecerit, vel dederit: ut generandi potestas, vel concipiendi capacitas adimatur.

§. 2. Prout in aliis, ita hoc quoque in delicto singuli culpae, ac malitiae gradus rite ab invicem distinguendi sunt, eritque poena culpae gradus 1-mi carcer a die uno ad mensem unum; gradus 2-di a mense uno ad tres; gradus 3-tii a mensibus tribus ad sex. Malitiae gradus 1-mi est itidem carcer a sex mensibus ad annum; gradus 2-di ab

anno uno ad duos; gradus 3-tii ab annis duobus ad tres, hebdomada singula binis jejunii in pane et aqua diebus exasperanda.

#### ARTICULUS XXIII.

##### *De Expositione Infantum.*

§. 1. Delicti publici Reus est, qui infantem vivum ea aetate, qua vitae suae conservandae nequaquam sufficit, eo fine exponit: ut eum seu morti objiciat, seu vitae ipsius conservationem fortuito saltem casui committat.

§. 2. Animus occidendi e locis, temporis, caeterisque facti circumstantiis dignoscitur; directusque, et indirectus esse, item infans, vel vivus adhuc, vel mortuus reperiri potest.

§. 3. Aliam igitur considerationem subit:

*a)* Si expositio animo occidendi facta sit, atque infans in solitarium, et ab humana consuetudine remotum locum eum in finem exponatur: ut aut fame, aut frigore pereat, aut per feras dilanietur, aut quacunque ratione alia intereat.

*b)* Si infans non ea intentione ut moriatur, adeoque in tutiorem, atque hominum frequentiae pervium locum eo fine exponatur: ut vel parens, vel alter aliquis ejus misereatur, poenaeque, aut matris infamia evitetur.

*c)* Levius in utroque casu delinquens punietur, si vivus, vegetusque infans repertus fuerit.

*d)* Gravius vero, si infantem is exposuerit; cui leges, tam naturales, quam civiles ejusdem conservandi obligationem imposuerunt.

§. 4. Quodsi mors infantis secuta fuerit, antequam idem detegatur, factum hoc semper ut homicidium considerabitur, delictique quantitatem, ac qualitatem, uti etiam ejusdem poenam, datae de homicidiis regulae metientur. Rarissimis tamen in casibus poenae homicidii exasperatio locum isthic habere potest; nam denique violenta infanti manus haud infertur, et plerumque spes exponenti superesse potest, casu fortuito infantem servatum iri. Quodsi expositio animo occidendi fieret, et tamen infans expositus servaretur, ausus hujusmodi pro attentato, sed non consummato homicidio reputabitur. Quodsi autem cautelae quaequam in

expositione pro infantis incolumitate adhiberentur, et tamen idem interiret, gradum culpae adhibitarum cautelarum quantitas, definiet. Quodsi demum nullum infans, sive vitae, sive valetudinis detrimentum passus fuerit, delictum hoc pro circumstantiarum ratione aestimabitur.

§. 5. Atque ita poena culpae gradus 1-mi est carcer a die uno ad mensem unum; gradus 2-di a mense uno ad tres; gradus 3-tii a mensibus tribus ad sex. Malitiae gradus 1-mi a sex mensibus ad annum unum; gradus 2-di ab anno uno ad duos; gradus 3-tii ab annis duobus ad tres.

#### ARTICULUS XXIV.

##### *De Assassinio.*

§. 1. Qualificatis etiam homicidiis accensetur assassinium, sive homicidium e commissione alterius pro mercede peractum. Committens assassinator, commissionem exequens assassinus appellatur.

§. 2. Ex ipsa delicti hujus notione deducitur:

a) Omne assassinium deliberatum esse homicidium.

b) Commissionem praecise ad occidendum directam esse debere; neque horsum commissionem ad vulnerandum, licet mors secuta sit, pertinere.

c) Communiter quidem assassinium pro mercede patitur; interim quicumque blanditiis, pollicitationibus, minis, aut quacunque ratione alia quemdam ad tertium aliquem interficiendum permovere studet, delicti istius reum se facit; neque interest: utrum merces sit statim tradita, vel promissa, utrum magni, vel exigui sit momenti? acceptatane fuerit, vel minus? an denique conventa aggressio, aut caedes revera peracta sit, vel intermissa?

d) In dictanda tamen poena distinguendum erit: an commissio prorsus fuerit rejecta? aut acceptata quidem, sed aggressio haud secuta? vel aggressio quidem tentata, caedes tamen haud secuta? vel revera perpetrata?

e) Si inter eum, qui caedem seu mandaverit, seu perpetraverit, et eum qui morti destinatus est, naturalis quispiam, aut civilis nexus intercedat, eo ipso delictum aggravatur.

f) Caeteris paribus mitius delictum est assassinatoris quam assassini; neque enim tanta in illo apparet audacia, graviusque peccat, quem sola lucri cupido in necem alterius armat, quam qui ira percitus, fa alterius accelerare satagit.

g) Ob delicti tamen circumstantias, ut: repetitionem ejusdem, necessitudinem cum occiso, revocationem mandati re adhuc integra, concursum tertii ad delictum, hisque similia, subinde assassinator, subinde assassinus gravius delinquere dignoscitur.

§. 3. Facta circumstantiarum omnium combinatione Judex gradum culpae, vel malitiae, poenamque in conformitate praeinserti de homicidio articuli determinabit.

#### ARTICULUS XXV.

##### *De Intoxicatione.*

§. 1. Intoxicatio, sive veneficium, est homicidium veneno patratum. Ejusdem species sunt:

a) Si quis veneno alium directe occidat.

b) Si quis puteos, herbas, olera, caeteraque usui humano deservientia ita veneno inficiat, ut exinde mors cujuspiam consequatur, aut sequi potuerit.

c) Distinctio etiam inter veneficia facienda est, dum valetudo ejus, cui venenum propinatur, irreparabile damnum accipit; item, quando valetudinem pristinam recuperat; porro, quando venenum, antequam summeretur, deprehensum est; demum, quando veneficus ipse deceptus, loco veneni tale quid obtulit, quod reipsa venenum non fuerat.

§. 2. Venenum suppeditantes, aut qualitercunque cooperantes, ut delicti istius complices considerantur, circa quos peculiariter dispiciendum erit: an scienter ad perdendum alium, vel vero ex inscitia, inconsiderantia, aut negligentia venenum subministraverint.

§. 3. In genere ad delicti istius perfectionem, et nocendi animus, et veneni datio, et effectus inde secutus requiritur. Cumprimis vero, ubi mors intercesserit, mortuum dato reipsa veneno exspirasse, certo constare debet. Eapropter inspectio, sectioque cadaveris nunquam negligenda est.

§. 4. Poena delicti istius eadem modalitate constituetur, prout ad reliquas qualificati homicidii species jam ad articulum de homicidio deductum est.

#### ARTICULUS XXVI.

*De Toxicorum, et nocivorum Medicamentorum venditione.*

§. 1. Si quis venenum alteri suppeditaverit, morsque exinde alicujus subsequatur, eundem juxta gradum culpae, vel malitiae, ut complicem veneficii puniendum esse, jam dictum est. Hic igitur illa tantum toxicorum, et nocivorum medicamentorum venditio in considerationem summitur, quae citra pravam quempiam occidendi intentionem fit, soliusque lucri causa suscipitur.

§. 2. Horsum itaque referuntur:

a) Medici, Chirurghi, et Pharmacopolae, qui seu venena, seu vetita sua legali forma medicamenta vendunt, vel eadem non sincere conficiunt.

b) Errones circumforanei, qui praetensis quibusdam cum arcanis, similibusque cum mercibus circumeundo, rude praesertim vulgus decipiunt.

c) Omnes illi, qui qualitercunque quaestus gratia sanitati Civium, praetextu ejusdem curandae, nocumentum adferunt.

§. 3. In singulis hujusmodi casibus, tam damni dati magnitudo, quam inscitiae, negligentiae, seu culpae, ac malitiae qualis, delicti, et poenae istius mensuram definit.

§. 4. In reliquo, praeter plenam damni illati refusionem, delinquentes hujusmodi punientur in culpae gradu 1-mo reprehensione privata; in gradu 2-do reprehensione publica; in gradu 3-tio Aresto a die uno ad octo. In malitiae gradu 1-mo a diebus octo ad mensem; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex, cum inhibitione ab exercitio artis, aut quaestus.

#### ARTICULUS XXVII.

*De Latrocinio.*

§. 1. Latronum nomine veniunt, qui sponte sua homicidium committunt, ut lucrum faciant. Est itaque Latrocinium lucri causa commissum homicidium.

§. 2. Et quia crimen hoc homicidio, lucrandaque animo absolvitur, atque sub nomine lucri commodum quodvis intelligitur; indolem delicti istius haud mutat in aedibus, an in via publica, aut ubicunque alibi perpetretur? magnum sit lucrum, et reipsa perceptum, an parvum, et tantummodo speratum? item ejusdemne, quem Latro aggreditur, sit proprium, aut alienum, curae tamen ipsius, atque custodiae concreditum? sufficitque, si lucri cupido delinquentem ad occidendum hominem impulerit, etsi spe sua delusus sit. Nec tamen ut Latro puniri potest, qui furari volens, sibi renitentem casu fortuito, aut culpose perimit; ad latrocinium enim deliberatum semper homicidium requiritur.

§. 3. Delicti istius gravitatem auget: si illud vias publicas obsidendo perpetretur, eodemque publica etiam commercii Civilis securitas impediatur; si illud repertitum sit, et quasi ex professo in societate plurium exerceatur; si demum e caedis modo, insignis semet Latronis atrocitas manifestet.

§. 4. Ut complices criminis istius considerari debent, qui scienter, et dolose sceleratos hujusmodi protegant, ad latrocinandum exmittunt, iisdem per fugium praestant, partem praedae capiunt; et quacunque demum ratione efficiunt, ne iidem detegantur.

§. 5. Ultra plenam damnificatorum indemnisationem, pro ratione circumstantiarum, et ex iisdem eruendis culpa, aut malitiae gradibus, hic quoque eadem poenae obtinent, quae pro aliis qualificati homicidii speciebus constitutae sunt.

#### ARTICULUS XXVIII.

##### *De Propricidio.*

§. 1. Propricidium, seu suimet ipsius occisio adinstar criminum reliquorum considerari nequit; quamvis enim grave societati Civili detrimentum adferat, de animo tamen, sive libera delinquentis voluntate, ac spontaneitate, quae ad omne delictum necessario requiritur, certa sententia nunquam depromi potest. Praeterea subjectum poenae in casibus hujusmodi deficit; neque enim poena in sensus expers

cadaver, atque innocentes fati functi successores decerni potest. Cum igitur dubio locus semper supersit, consultone, an animi intemperie, morbove alio violentas sibi quis manus intulerit, hoc potius praesummendum est. Atque ideo, usitatae olim in similibus casibus poenae, vel potius abusus, quoad occisi sepulturam, pro abolitis declarantur, et infelicitium talismodi cadavera communi reliquorum Caemeterio, absque tamen solennitatibus inferentur.

§. 2. Quodsi vero propricidium attentatum quidem, sed quacunque de causa consumatum non fuerit, id ipsum attentans custodiae, Medicorumque, ac Personarum Spiritualium curae usque eo mandabitur, dum idem plene sibi restitutus esse declarari potuerit.

§. 3. Illi vero, qui alios ad Propricidium animaverint, aut qualitercunque Propricidii conscii, aut complices deprehensi fuerint, pro ratione culpaе, aut malitiae punientur. Et quidem erit poena talismodi complicum in culpaе gradu 1-mo Carcer a die uno ad mensem; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a mensibus sex ad annum; in gradu 2-do ab anno uno ad duos: gradu 3-tio ab annis duobus ad tres.

## ARTICULUS XXIX.

### *De Duello.*

§. 1. Duellum est singulare certamen duorum, occidendi, aut saltem vulnerandi causa, tempore, et loco constituto, certoque armorum genere ex condicto susceptum; differtque a pugna subitanea, qua duo ira subita excandescentes, loco, ac tempore antea haud constitutis, invicem armis congregiuntur.

§. 2. Species delicti hujus diversae sunt; aliud enim est:

a) Si quis alium ad singulare certamen provocet, aut ex condicto, armis letiferis instructus, certo loco compareat, provocatumque interimat.

b) Aliud, si provocans per provocatum interimatur.

c) Aliud, si neuter certantium in Duello occubuerit, sed vel uterque, vel alteruter vulneratus fuerit.

d) Aliud, si uterque quidem armis letiferis instructus ad conflictum semet accinxerint, a conflictu tamen, seu sponte, seu per alios impediti abstineant; quin sola etiam ad Duellum provocatio poenalis erit.

§. 3. Ut complices delicti hujus considerandi sunt: qui se ad Duellum ut assistentes, seu ita dicti secundantes pro certantium altero sisterent; non secus, qui ad evocationem, sive ad Duelli acceptationem quidpiam quoquomodo contulerint; quin et ii, qui evocationem, pro sua erga Leges fidelitate declinaturi, despectum, atque contemptum, seu minati, seá revera contestati sunt, adeoque per contemptum reipsa ad Duellum animant, pro culposi reputabuntur.

§. 4. Pro poena delicti hujus in culpae gradu 1-mo dictabuntur carceres a die uno ad mensem integrum; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex. In militiae gradu 1-mo a sex mensibus ad annum integrum; in gradu 2-do ab anno uno ad duos; id gradu 3-tio ab annis duobus ad tres.

#### ARTICULUS XXX.

##### *De propria Mutilatione.*

§. 1. Propria mutilatio est integro, utique corporis membro, ad subterfugiendum servitium publicum, suimet ipsius privatio; neque interest an quis per se, vel per alium mutilationem hujusmodi suscipiat.

§. 2. Delicti igitur istius argui nequit, qui servandae reliquae corporis sui integritatis causa, membrum quodpiam sibi abscindi jubet. Ac potissimum e loci, temporisque circumstantiis colligi debet, quo fine mutilatio suscepta sit; haeque circumstantiae delictum hoc jam gravius, jam levius efficiunt. Sed neque privati lucri causa mutilationem licet admittere.

§. 3. Praeprimis autem delicti istius rei sunt, qui militiae detrectandae causa pollices sibi amputant, dentes excutiunt, aut quacunque ratione alia se eapropter mutilant: ut ad praestanda ordinaria militum servitia inutiles efficiantur.

§. 4. Qui igitur necessarium publico servitium, se ipsos mutilando, subterfugere voluerint, ingratis etiam mediis ad talia adstringentur, quibus non obstante sui mutilatione pares fuerint; et ideo, si ad aliquod quaecumque demum militare servitium applicari potuerint, pro eodem Jurisdictioni militari resignabuntur.

§. 5. Qui autem servitiis militaribus penitus inutiles fuerint, subibunt carceres, laboresque publicos in culpae gradu 1-mo a die uno ad mensem: in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a mensibus sex ad annum unum; in gradu 2-do ab anno uno ad duos; in gradu 3-tio ab annis duobus ad tres.

#### ARTICULUS XXXI.

*De Verberationibus, Vulnerationibus, ac Mutilationibus.*

§. 1. Violatio corporis, qua videlicet, salva vita, quodcumque corpori malum infertur, adeoque omnis gravior verberatio, vulneratio, et mutilatio delictis publicis accensetur. Distinguendum tamen est.

a) An quis ex ira, aut quocumque alio malitioso affectu violentas in aliquem manus eapropter injiciat: ut vitam ipsi adimat, casu attamen sola ipsius vulneratio, aut mutilatio subsequitur?

b) An consulto vulneratio suscipiatur, eademque vitae discrimen, aut perpetuam sanitatis jacturam post se trahat, aut insignis aliquis malitiae gradus ad factum concurrat?

c) An in exorta casu fortuito rixa, amisque ad interficiendum aptis, aut plane ex inconsiderantia vulnus grave infligatur?

d) An demum vulnus leve, atque instrumentis ad occidendum haud idoneis illatum sit?

§. 2. Vulnus quodlibet pro gravi reputari debet, quod post debitam etiam curationem damnosum aliquod vestigium post se relinquit; leve e contra, cujus nulla post curationem vestigia supererunt. Letale vulnus est, ex quo vulneratus moritur; non letale, ex quo mors haud consequitur. Letale porro est per se, sive absolute tale, vel per accidens. Ad

vulnus absolute tale requiritur: ut vulnus inflictum nulla arte sanari potuerit, secus per accidens tantum letale compellatur. Caeterum vulnera letalia juxta Regulas ad homicidium praestabilitas punienda, consequenter non nisi illa, que non sunt letalia, hoc articulo speciatim in considerationem veniunt.

§. 3. In omnibus vero delicti istius casibus praeprimis necessarium est: ut delinquens ad plenam laesi indemnisationem adstringatur. Ad hanc pertinent expensae curationis, aestimatio perpassi doloris, et neglecti lucri; circa quod non tantum pro tempore, quo laesus curabatur, sed si inflictum vulnus perpetuum labori, atque eo promerendae mercedi impedimentum posuit, pro toto vitae tempore aestimatio instituat. Neque ista praetermitti unquam poterunt, nisi laesio adeo exigua fuerit, ut nullum aestimatione dignum damnum recipiat, aut vero laesus ad rixam provocaverit, vel qualicumque ratione alia ipsemet damni sui causa exstiterit.

§. 4. Poena autem semper intendenda erit: si personae honoratioris, aut in munere publico constitutae, vel plane consanguinei, fratris, vitrici, et novercae, parentis adoptivi, tutoris, aut alterius, cui delinquens peculiari quopiam vinculo obstringitur, modoque, ac malitia extraordinaria, verberatio, aut vulneratio institueretur.

§. 5. Cum autem personae nobilitaris verberatores gravi admodum hactenus quoque poena puniti fuerint, et alioquin nobilium quilibet pro persona honoratiore in Regno censi debeat, qualiscunque verberatio personae nobilitaris pro graviore semper verberatione reputabitur, adeoque poena, in hanc statutae subjacebit, publica quoque actione vindicabitur; nisi forte in casu quietem publicam non perturbante, aut scandalum publico non causante, pars laesa illatam sibi injuriam pro vindicatione Jurisdictionis publicae quacunque de causa non insinualet, aut jam insinuatam retractaret; salvo semper parti laesae quoad indemnisationem propriam, si se actioni publicae ingerere voluerit, ad eandem accessu.

§. 6. Poena demum in delicti hujus culpae gradu 1-mo est carcer a die uno ad mensem; in gradu 2-do a mense uno ad duos; in gradu 3-tio a mensibus duobus

ad tres. In malitiae gradu 1-mo a mensibus tribus ad sex; in gradu 2-do a mensibus sex ad annum; in gradu 3-tio ab anno uno ad tres.

#### ARTICULUS XXXII.

##### *De Parentum verberatione.*

§. 1. Quemadmodum parricidium a caeteris homicidii speciebus, ita etiam parentum verberatio a verberationibus reliquis distinguitur; ac licet debita erga parentes veneratio multis modis laedi possit, huc' tamen id solum refertur, quoad eandem gravius afficit; omnis videlicet violenta manuum in personam parentum extensio.

§. 2. Huc itaque pertinet:

a) Si quis qualicumque instrumento proprios parentes, aut ipsorum ascendentes verberaverit.

b) Si pugno, calceve eosdem concusserit, alapam ipsis impeerit, aut faciem conspuerit.

c) Si eosdem vulneraverit, aut plane mutilaverit.

d) Si alios ad verberandum, vulnerandumve conduxerit.

§. 3. Quamvis autem proles parentibus innumeris titulis obstrictae sint, neque unquam aggredi eosdem audeant, nimia tamen subinde parentum crudelitas, vehemens animi perturbatio, verberum, vulnerumque qualitas, hic etiam in considerationem venire debent; ac demum praeter necessariam laesi indemnisationem.

§. 4. Poena culpaee gradus 1-mi est carcer a die uno ad menses tres; gradus 2-di a mensibus tribus ad sex; gradus 3-tii a mensibus sex ad annum integrum. Malitiae gradus 1-mi ab anno uno ad tres; gradus 2-di ab annis tribus ad sex; gradus 3-tii a sex annis ad duodecim.

##### *Delicta honori Civium injuriosa.*

#### ARTICULUS XXXIII.

##### *De Injuriis.*

§. 1. Per injurias noxiae honori contumeliae intelliguntur. Et quia injuria est quodvis dictum, vel factum, ad alterius contumeliam directum, alia est verbalis, quae verbis, alia realis, quae re, et facto infertur.

§. 2. Injuriae inter privatos, privatae inter se Civium actioni, Jure nostro relinquuntur, nisi injuria talismodi in loco publico, aut tali modo facta sit: ut eadem publica reddatur. Talia sunt: Libelli famosi, picturae, ac sculpturae, quibus alter publice prostituatur.

§. 3. Gravitatis delicti hujus ex omnibus dicti, factive circumstantiis aestimabitur; et cum primis ad damni dati, vel metuendi gravitatem, laesaeque personae dignitatem advertetur. Aliud enim est, si quis in Personam Regis, et Familiam Regiam injuriosus sit, aliud, si illos laeserit, qui in publico Officio constituuntur, aut tales, erga quos et naturali, aut civili necessitudine respectum habere debet, uti sunt parentes, et qui parentum loco sunt; similes enim injuriae, etiamsi publice non fiant, actione tamen publica vindicabuntur.

§. 4. Caeterum pro alleviante in delicto hoc circumstantia reputabitur; si crimen alteri objectum, haud confictum, sed verum sit; si per alterum causa injuriae supeditata, aut injuria intentata saltem, non vero consummata fuerit.

§. 5. Si quis realiter personam alterius invadat, licet quidem verberatio, aut vulneratio, qua alioquin distinctum delictum efficiens, hujusmodi injuriae connexa non sit, omnis tamen realis injuria pro graviore semper, quam pure verbalis, reputabitur.

§. 6. Ut complex delicti istius considerabitur, qui alterum ad inferendam injuriam animaverit, aut qualemcunque operam ad eandem contulerit.

§. 7. Quodsi injuria in loco publico illata fuerit, injurians absque statuto, et conditionis discrimine ex eodem publico loco, ad evitandans ultteriores sequelas mox subducetur, et qua in flagranti deprehensus pro ratione circumstantiarum custodiae etiam mancipabitur.

§. 8. Caeterum poena delicti hujus in culpaee gradu 1-mo est deprecatio publica; in gradu 2-do poena aresti a die uno ad mensem integrum; in gradu 3-tio a mense uno ad tres. In malitiae gradu 1-mo a mensibus tribus ad sex;

in gradu 2-do a mensibus sex ad annum integrum; in gradu 3-tio ab anno uno ad duos.

§. 9. Quodsi autem personae, aut familiae, Regiae injuria hujusmodi inferetur, poena praeinserta semper duplicabitur.

### *Delicta, Bona, Facultates, Libertatemque Civium impetentia.*

#### ARTICULUS XXXIV.

#### *De Praedocinio, et Rapina.*

§. 1. Lucri causa illata personae cuiuspiam violentia, quin tamen mors inferatur, praedocinium, et si aliquid violenter reipsa ablatum sit, rapina dicitur. Differt a latrocinio, in quo semper mors illius, cui res ademptae sunt, intervenisse supponitur. Item a furto qualificato, quod licet variis, semper tamen occultis modis fit. In praedocinio autem aperta semper personae cuiuspiam vis illata attenditur.

§. 2. Qui igitur rem suam, aut quam suam esse putabat, Judicis neglecto auxilio, vi alteri extorserit, aut ex petulantia alteri aliquid ademerit, ad permutationem rerum suarum, sine animo lucrandi, vi alterum adegerit, non ut raptor, sed ut violentus considerabitur.

§. 3. Cum porro vis ad delictum istud requiratur, simplices persuasiones, aut minae leviores non sufficiunt; quia tamen idem est, seu vis realis adhibeatur, seu metus gravis incussus sit, circumstantiae omnes singillatim expendendae erunt.

§. 4. Caeterum poena semper temperanda erit, quando vis adhibita admodum exigua, sed et ipsum rapinae substratum valde exiguum fuerit; si quis alterius jussu, cujus videlicet sub imperio est, aliquid rapuerit; aut si in gravi nimium necessitate constitutus, ad eandem sublevandam vim alteri adhibuerit.

§. 5. Ex adverso licet idem sit, seu in propriis, sive in alienis aedibus, sive etiam in via publica crimen istud perpetretur, illud attamen aggravat, si aggressio talium fiat, qui respective sub protectione, et fide publica consti-

tuuntur, uti apud nos sunt pastores pecudum, et pecorum in pascuis communibus existentium; item si praedo in societate plurium praedocinia exerceat, et quasi professionem ex iisdem faciat, aut aggressio praedatoria adeo violenta fuerit: ut adorto verbera etiam, ac vulnera inflictata sint.

§. 6. Quodsi praedocinium in societate aliorum, repetitum, et quasi ex professo, crudeliter exerceatur, licet mors non interveniat, tunc tamen non propter rem per praedones ablatam, neque violentiam personae laesi illatam, sed propter securitatem publicam, quam contra tales publicam, quam contra tales publici hostes aliter conservare modus non suppetit, respublica in statu defensionis constituetur.

§. 7. Ac praeter illatorum damnorum, expensarumque refusionem, poena culpae gradus 1-mi erit carcer a die uno ad menses tres; gradus 2-di a mensibus tribus ad sex; gradus 3-tii a mensibus sex ad annum integrum. Malitiae gradus 1-mi ab anno uno ad tres; gradus 2-di ab annis tribus ad sex; gradus 3-tii ab annis sex ad duodecim. Atque in repetitis praedociniis, in quibus videlicet spes emendationis non adest; defensionisque reipublicae subversatur, mors etiam dictare poterit.

#### ARTICULUS XXXV.

##### *De Plagio.*

§. 1. Dolosa, aut violenta liberae cujuscumque personae abductio, plagium nuncupatur. Quamvis enim vulgo scriptorum alienorum pro suis suppositio, uti etiam bibliopolarum, ac typographorum libros alienos imprimendum, aut distrahentium fraudes plagii nomine veniant, eadem attamen ad furtum potius, vel stellionatum referri possunt. Atque hic tantummodo delictum illud intelligitur, quo quis libertate, qua in civili hac societate frui debet, vi, aut dolo spoliatur.

§. 2. Delicti istius casus sunt:

a) Dum sine legitimi Magistratus concessionem, invitum quisquam e republica, in qua degit, abducitur, atque alienae cuidam potentiae subicitur.

b) Si quis intra etiam ejusdem reipublicae limites,

colonom, aut alterius famulum, aut quemcumque alium pravo quocumque ex affectu abducat, libertateque spoliet.

c) Huc etiam referuntur, qui absque praevio indultu intra regnum pro extera quapiam civitate, seu militem, seu colonos legunt, quamvis nec vim neque dolum adhibeant.

d) Qui minorennem sub patris, tutoris, aut alterius cura constitutum, vi, aut dolo, curam ejus gerenti subducunt, unde damnum quodpiam abducti subsequitur.

§. 3. Semper autem crimen istud aggravatur, si emtio, venditio, in servitatem redactio, intercedat. Alleviatur ex adverso si ex animi teneritudine, studio commodi ejusdem, qui abducitur, aut alia quacumque bona intentione peragatur. In genere, temporis, loci, modi, et personarum diversitas diversimode delictum istud qualificat; sed et complices ratione pro circumstantiarum jam culposos jam dolosos efficit.

§. 4. Poena delicti hujus in culpa gradu 1-mo sunt carceres a die uno ad mensem; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a sex mensibus ad annum unum; in gradu 2-do ab anno uno ad tres; in gradu 3-tio ab annis tribus ad sex. Ubi vero praecursae legales circumstantiae aggravantes adfuerint, expositio etiam ad infamen columnam adjicietur.

## ARTICULUS XXXVI.

### *De Raptu.*

§. 1. Plagii quoque species raptus est; atque sub hoc crimine intelligitur personae cujuspian abductio, eadem, aut vero illis, quorum potestati subest, invitis, causa explendae libidinis.

§. 2. Quamvis autem ad crimen raptus requiratur: ut persona quaequam de loco in locum abducatur, non tamen est necesse: ut ex una Civitate in aliam fiat abductio; sufficit, si e domo solitae habitationis ad locum transferatur, ubi libido expleri possit; quae abductio si secuta non fuerit, raptus erit tantummodo attentatus, aut inchoatus. Nec

tamen semper concubitus, aut expleta qualitercunque libido ad delicti istius consumationem requiritur.

§. 3. Quoad personam, quae delicti hujus objectum constituit, ejusdem potissimum conditio, seu character, in considerationem venire debet; haec enim praecipue, diversos qualitatis delicti istius gradus constituit.

§. 4. Nec tantum vi, aut metu raptus committitur, sed etiam artibus insidiosis. Deinde in personis, quae aliorum subsunt potestati, sufficit his inscientibus, aut invitis abductionem factam esse, licet ipsamet persona consentiat. Vicissim licet Parentes, aut Tutores, aut quicumque alii, quorum potestati subjiciuntur, consentiant, si tamen raptae dissenserint, idem delictum est.

§. 5. Neque praetextus Matrimonii, ubi praesertim vi raptus contigit, a delicto hoc penitus excusabit; matrimoniorum enim essentia in consensu mutuo constituitur; et quamvis per subsequum matrimonium honori raptae, non tamen laesae Reipublicae satisfiet.

§. 6. Si vero aliud quodpiam delictum raptui conjungatur, aut vero extraordinaria malitia in perpetrando delicto hoc observetur, gradum, poenamque ejusdem augeri manifestum est.

§. 7. Delinquentem certe hoc in delicto aggravat: si persona longe diversae a raptore conditionis, aut proximo sanguinis nexu juncta, aut Deo sacra, cum armis, pluribusque violentiae sociis, aut plures simul personae abreptae fuerint.

§. 8. Alleviant ex adverso: si rapta consensum suum praebuerit; si non tam vi, quam precibus expugnata, eademque improbae alioquin vitae fuerit; si Raptor quacunque de causa semet a rapta continuerit, aut plane, raptae consensu accedente, formale matrimonium iniverit.

§. 9. Auxiliaris hoc in delicto opera non raro gravius, quam ipse ratus puniri debet; cum in hoc saepe passionis impetus, caeteraque circumstantiae delinquentem alleviare valeant.

§. 10. Poena delicti hujus eadem est, quae articulo proxime praecedente, ad crimen plagii constituitur.

## ARTICULUS XXXVII.

*De vi Pudicitiae illata.*

§. 1. Delicti istius nomine venit omnis violenti stupri species, adeoque cujuslibet cum persona non consentiente, aut vi adacta formalis concubitus. Distinctiones igitur inter stuprum violentum, et non voluntarium neutiquam distincta delicta, sed diversas tantummodo delicti ejusdem species denotant.

§. 2. Delicti hujus Rei censendi sunt :

a) Qui personam quampiam, seu violenter eam vinciendo, seu sceleris sui auxiliares adhibendo, libidini suae resistendi omni potestate privant, eamque in violento isthoc actu revera vitiant.

b) Qui foeminam, letifera ei arma intentantes, mortemque ipsam minitantes, ad corporis sui copiam faciendam adigunt.

c) Horsum pertinent supra personis furiosis, ebriis, mente captis, viribus destitutis, dormientibus, impuberibus, in errore invincibili constitutis illata.

d) Neque violenti meretricum stupratores a delicto hoc penitus eximi poterunt, quamquam levius puniendi veniant, quam qui personam honestam vitiant.

e) Nec tantum illi, qui foeminarum, sed qui marium quoque pudicitiam vi expugnaverint, delicto isthoc implicantur.

§. 3. Conatus hujus criminis, prout ab actu abfuit, prout item delinquens ab incepto destitit, aut ab aliis impeditus est, aestimandus erit.

§. 4. Praestitum ad crimen hoc auxilium e generalibus de complicitate, aut societate principiis determinabitur, stuprique violenti auxiliares ad praestandam personae laesae satisfactionem, in quantum videlicet violatoris ipsius facultates haud sufficerent, obligabuntur.

§. 5. Frustra autem vim sibi illatam esse asserit, quae etsi fortiter initio reluctabatur, subsequae tamen, nec clamore, neque secus se defendit; nisi omnem sibi potestatem ereptam esse docuerit. Circumstantiae certe, tam antecedentes, quam concomitantes, et subsequentes diligenter ponderandae, atque

ex iis de violentia judicandum est. Nec tamen statui poterit, foeminae, primo post graviditatem, aut plane infantis natiuitatem querenti, fidem nullam habendam esse; habet enim saepe justissimas, quamdiu de graviditate sua dubitat, dissimulandi causas.

§. 6. Concurrentibus circumstantiis delictum aggravantibus, delicti, poenaeque gradus elevabitur. Tales sunt: si aliud quoque delictum jungatur, aut in loco sacro, cum insigni nequitia, repetitum, aut cum laesione debitae erga personam violatam reverentiae, delictum hoc perpetretur.

§. 7. Mitigabitur ex adverso: si vim passa, delinquenti nubere velit, si vis leuior adhibita, si ebrietas intervenerit, si laesa jam alioquin praevie ab alio corrupta fuerit, aut denique aliae quaequam alleviantes circumstantiae occurrerint.

§. 8. Si vis pudicitiae illata cum pluribus sociis, atque perturbatione tranquillitatis publicae conjuncta, adeoque pro specie praedocinii qualificata fuerit, poena quoque praedocinii hoc in delicto locum obtinebit.

§. 9. Caeterum poena delicti hujus in culpa gradu 1-mo est carcer a die uno ad mensem; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex. In malitia gradu 1-mo a sex mensibus ad annum unum; in gradu 2-do ab anno uno ad tres; in gradu 3-tio ab annis tribus ad sex.

## ARTICULUS XXXVIII.

### *De Furto.*

§. 1. Furtum, quod occultam rei mobilis, invito domino, lucri causa ablationem denotat, finibus suis prohibere rei-publicae interest; in Civilem enim securitatem non tantum vitae tuendae causa, sed eo potissimum convenimus: ut secure rebus nostris frueremur.

§. 2. In rerum alienarum ablationibus eo generatim advertitur: an eadem aperta vi, vel vero occulta fraude perpetrentur. Vis aperta sub rapinae nomine jam pertractata est. Si in damnificatione occulta, specialis quaequam astutia, quae facile praecaveri haud possit, adhibeatur,

peculiare stellationis crimen efficit, quod separato articulo pertractabitur.

§. 3. Hic igitur furtum in genere pertractatur, et quemadmodum in delictis aliis, ita in hoc quoque, delicti gravitas e damno in rempublicam, ejusdemque concivem redundante, et majori, vel minori delinquentis malitia aestimatur. Atque ideo circumstantias omnes Judex in considerationem sumere, et ex harum combinatione determinare debet, ad qualemnam delicti gradum factum quodlibet referatur. Furtum, quod nullae aggravantes circumstantiae comitantur, simplex, cui autem aggravans quaequam circumstantia accesserit, qualificatum appellatur.

§. 4. In genere furtum aggravat:

- a) Si res furto sublata sit majoris pretii;
- b) Si noctu;
- c) Si a domestico perpetretur;
- d) Si furtum sit reiteratum;
- e) Aut cum effractura, clavi adulterina, ascensu per scalas, vel peculiari quocunque artificio;
- f) Aut in re tali, quae satis custodiri nequit, et respective sub fide publica constituitur, uti apud nos sunt pecora, et pecudes in pascuis existentes;
- g) Item, si cum pluribus furti sociis;
- h) Occasione incendii, aut cujuscunque alterius, sive publicae, sive privatae damnificati calamitatis;
- i) Si damnificatus sit alioquin nimium pauper;
- k) Si res sacra auferatur, aut in loco sacro;
- l) Vel ab illo committatur, cujus fidei res furto concredita fuerat.

§. 5. Alleviat ex adverso:

- m) Si substratum furti valde exiliis sit pretii;
- n) Si delinquens urgente necessitate ad id impulsus sit.
- o) Aut justas quaspian adversus eum, cui aliquid sustulit, praetensiones habuerit.
- p) Aetas immatura, ac Judicium imbecille;
- q) Item si segnior possessoris custodia, aut quaecun-

que alia circumstantia rem furto ablatam quasi sponte furi objecerit.

r) Vel antequam fur interciperetur, vel etiam ad examen Judiciale responderit, aut secus convinci posset, rem furto sublatam restituerit.

s) Aut plane furtum tantummodo attentatum, non vero consumatum fuerit.

§. 6. Quae autem sint in specifico circumstantiae, quae singulum delicti gradum determinant, id e prudenti singuli casus aggravantium, et alleviantium circumstantiarum combinatione dependebit.

§. 7. Ex his sequitur: quod fur, sive in ipso actu deprehendatur, sive subseque tantum furti vincatur, eundem malitiae gradum habere, adeoque pari etiam poena puniri possit.

§. 8. Qualificato furto accensendum esse illorum quoque ausum, qui deposita fidei suae commissa mala fide sibi appropriaverint, vel in suos usus converterint. Non secus

§. 9. Hujus etiam delicti Reos esse Officiales, et servitores oeconomicos privatorum dominorum terrestrium, qui peculiari fide rebus dominorum suorum invigilare obligantur, easdem tamen malitiose contrectare praesumerint.

§. 10. Pro furibus etiam reputantur silvarum decorticators, et succisores; nisi factum talismodi ob praetensam silvae proprietatem intercederet, quo in casu actus talis vindicatio ad privatam actionem pertinebit.

§. 11. Praeter plenam damnificati indemnisationem, poena delicti hujus in culpa gradu 1-mo est carcer a die uno ad mensem integrum; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a sex mensibus ad annum unum; in gradu 2-do ab anno uno ad tres; in gradu 3-tio ab annis tribus ad sex, adjunctis semper conditioni delinquentis proportionatis laboribus, et si fur jam saepius graviter punitus fuerit, nec spem ullam emendationis praebeat, adeoque ulterius Societati Civili periculum porro etiam ab eodem impendeat, mors quoque pro poena dictabitur.

## ARTICULUS XXXIX.

*De Furum Fautoratu.*

§. 1. Qui Fures protegunt, delictoque ipsorum qualitercunque implicantur, furum fautoratus rei sunt. Modi autem, quibus aliquis furto alterius implicari potest, multiplices occurrere solent; horsum enim refertur: qui rem furto ablatam scienter emit, aut vendit, receptat, atque occultat; dum furtum perpetratur, excubias agit; occasionem furandi explorat, et denique quidpiam ad furtum, seu mediate seu immediate contribuit.

§. 2. Ut vero indoles delicti istius dignosci, poenaque eidem proportionata determinari valeat, circumstantiae praestiti consilii, aut cujuscunque, alterius auxilii probe ponderandae sunt, imprimisque definiendum erit, an scilicet ante furtum perpetratum, vel in ipso furti actu, vel denique post commissum furtum influxus incusati probari possit.

§. 3. Circa consilium, vel auxilium furi datum, antequam furtum inchoaretur, praecipue advertendum: an absque eo delictum tamen commissum exstitisset; si enim e circumstantiis eveniat, furem delictum commissurum haud fuisse, nisi malitioso alterius consilio, vel auxilio impulsus esset, tunc crimen fautoratus eadem, qua furtum, poena puniendum erit. Quin, si fur mandati obnoxius esset, ejusmodi saepius circumstantiae occurrere poterunt, ut mandans gravius, quam fur ipsemet puniri debeat. Secus se res habet, si quis mediate tantummodo ad furtum concurrat, auxiliumque, vel consilium praebet per actum remotum, ex quo immediata furto causa haud datur. Ita, si quis furi modum furandi notum reddat, aut locum, in quo res sufferendae asservantur, ostendat, si absque talismodi etiam indicio furtum perpetrari potuerit, ut complex tantummodo tractabitur, neque aequali cum fure principali, poenae subjicietur.

§. 4. In ipso furandi actu, quicumque furi opem actualem dolose praestat, eidem semet poenae obnoxium efficit, cui fur principalis e legis dispositione subjacet. Nec requiritur: ut manum quoque furto admoveat; sufficit, si excubias egerit, aut qualitercunque furto cooperatus fuerit; sed

neque necessum est: ut tantundem ac fur principalis e furto participet; sicut enim ad damni resarcitionem, ita ad poenam quoque aequaliter obligabuntur, licet diversum e furto lucrum fecerint, solaque delicti qualitas, sive eruenda e circumstantiis delinquentis malitia, poenam Crimini eidem implicitorum determinabit.

§. 5. Post commissum autem furtum praestitum furti auxilium nunquam eadem poena puniri potest, qua principale furtum; quamvis enim delinquens hujusmodi res furto sublatas receptando, furem occultando, aut aliter qualitercunque furtum approbare censeatur, ad ipsum attamen furti actum neutiquam concurrat, nisi e repetitis actibus, aut circumstantiis aliis eveniat, eunde ante furtum etiam, vel in ipso furti actu opem realem, vel consilium furi praestitisse, quin tamen praevia notitia, aut etiam consensus pro reali auxilio haberi possit.

§. 6. Error, et ignorantia, metus, et coactio, liberam voluntatem, quae semper ad maleficium requiritur, saepius excludere possunt; et ideo rerum furtivarum bonae fidei emtores ad poenam quidem trahi nequeunt, ad refusionem tamen, si etiam res furto sublata jam consumpta sit, et emolumentum ementis exinde ostendi possit, obligantur.

§. 7. In genere autem omnis, qui apud se repertae furtivae Rei Evictorem statuere nequiverit, non nisi tunc pro complice, fautore, aut etiam principali fure haberi poterit, dum secus etiam fundatae aggravantes quaequam circumstantiae, sive quoad Rem furto sublata, sive quoad personam furti insimulatam accesserint.

§. 8. Caeterum poena delicti hujus juxta praededucta principia, pro ratione gradus culpae, vel malitiae eadem erit, quae articulo proxime praecedente ad furtum principale constituta est.

#### ARTICULUS XL.

##### *De Stellionatu, seu Falso.*

§. 1. Stellionatus, seu Crimen Falsi in genere est qualibet veritatis immutatio, vel suppressio, dolo malo, in fraudem, sive damnum alterius facta. Quot itaque fraudum

in damnum cujuspian directarum, totidem fere stellionatus sunt species. Et quia omnes easdem recensere impossibile, aliqua saltem falsi exempla hic adducuntur, e quibus reliqua aestimari poterunt.

§. 2. Horsum igitur refertur dolosa personae alienae in damnum alterius assumptio, Jure nostro Crimen Larvae nominatum. Unde larvatus dicitur, qui sub persona alterius praejudicium, aut quodcunque aliud damnum cuipiam machinatur; in specie autem delictum hoc committitur:

a) Si quis in persona alterius coram loco authentico comparendo, fassiones, vel contractus quospian celebret.

b) Si quis alienae familiae nomen sibi adsciscendo, semet eidem cum legitimorum haeredum praejudicio inserere satagat. Nec tamen criminis hujus argui potest, qui nullo alteri damno causato, sive ad vitandum aliquod periculum, sive alia quacunque rationabili de causa nomen mutat; tunc enim, si familiae talis, cujus nomen assumpsit, homines per id sibi praejudicium imminere existimaverint, iisdem publica uti inhibitione integrum erit.

§. 3. Item

c) Si quis lucri causa parentes, fratres, aut sorores, amentes, furiosos, et bonorum administrationis incapaces praetextuaverit, aut qualicunque sub colore, sive priorum bonorum dominio excludere, sive e bonis avitis dolose exhaereditare voluerit.

§. 4. Huc porro pertinet:

d) Dum impostor credulitate cujuspian usque adeo abutitur, ut eum in actiones legi contrarias, ipsive, aut aliis nocituras inducat.

e) Qui alterum ad falsum testimonium dolose persvadet.

f) Sub fictitio quopiam nomine, aut quocunque colore injustum lucrum, et quaestum facit, falsas cambiales conficit, Judicium occasione investigationis de statu suo deludit, moratorium falso impetrat, uti etiam Proxeneta, si libro suo false quidpian inserat.

g) Insignia, vel sigilla aliena alterius decipiendi causa usurpat.

*h)* Falsas measuras, et pondera conficit, probasque, ac stigmata falsa apponit, hisque scienter utitur; prout et illi, qui justis quidem mensuris, ac ponderibus, sed false utuntur, si bis commoniti, et puniti, tertio iterum deprehensi fuerint.

*i)* Vitium venum expositorum exquisitis quibusdam artibus occultat.

*k)* Librum alienum sub suo nomine imprimit.

*l)* Voluntarium fallimentum dolo malo facit.

*m)* Stipis colligendae causa incendium, morbum, aut infortunium comminiscitur.

*n)* Sub falsis passualibus oberrat.

*o)* Falsum partum supponit.

*p)* Lucri causa caerimoniis religionis cujuscumque abutitur.

*q)* Rem aliis obligatam, priori obligatione dissimulata, alteri vendit.

*r)* Occasione numerationis pecuniae, aut permutationis cujuscumque rei, aliam supponit, vel quibuscumque demum fraudibus, ac praestigiis alterum damnificat.

*s)* Vel maxime autem delicti hujus Reos semet reddent illi montanistae, urburarii, officiales, aut laboratores, qui mineras ad liquefactionem pertinentes scopo minuendae urburae ad molas tusorias, aut lotorias, converterint, ac fraudis hujus, et doli Rei realiter comperti fuerint.

*t)* Prout et si quis Co-Urburarium venas, vel fibras metallicas in communi fodina quacumque ratione detectas, aut praeexistentes, in venis mineras dolo malo oblinire, obstruere, et celare, pro suo proinde seorsivo praesenti, aut futuro commodo fraudulentè usurpare, vel occasione divisionis, et seorsivae repartitionis minerarum, melioris qualitatis mineras aliis subtractas sibi clandestine vendicare, aut mineras furto sufferre, vel falso ratiocinio fodinali alterum decipere ausus fuerit, aut quacumque demum ratione in Juribus, et proventibus Co-Urburarium suum fraude, et dolo damnificaverit.

*u)* Qui citra expressam facultatem, sive nobiliores et fodinis mineras, aut liquefacta etiam metallica producta (ad quorum posteriora etiam testae cupellati plumbi argenti-

feri, et lythargirum plumbi spectant) prout et aurum lotum in damnum eararii Regii, aut Co-Urburariorum privative asportare, furtive stubtrahere, abalienare, alchymistis, vel docimastis administrare, vel plane extra regnum vendere praesumserit.

v) Delicto huic implicabuntur non modo complices, verum omnes etiam conscii, qui praevidiam obstructionem, deceptionem, et fraudes superioritati, et respectivis partibus insinuare intermiserint; habita semper ad codicis hujus partis 1-mae articuli 1-mi paragraphum 2-dum reflexione.

§. 5. Caeterum prout varii fallendi modi, ita etiam concurrentis ad delictum hoc malitiae gradus diversi sunt. Atque ideo delictum hoc mitius, severiusve vindicandi ratio a comitantibus potissimum circumstantiis dependebit. Gradum certe delicti elevat, adeoque poenam etiam exasperat: si deceptus fraude sua, Jura necessitudinis quoque, sive publicae, sive privatae violet, si idem dolis saepius usus fuerit, aut poenam delicti hujus jam antea quoque dederit. Quodsi vero fraus totum publicum detrimento afficiat, gravius utique, quam privata injuria semper vindicabitur.

§. 6. Quod delicti istius poenam concernit, praeter damnorum, ac expensarum refusionem, poena eadem hic locum habet, quae pro furibus constituta est, eo addito: quod in gradu 2-do malitiae, divulgatio; in gradu autem 3-tio praeter divulgationem, ad infamem etiam columnam expositio adinstar exasperationis poena delicti istius addi debeat.

Quoad montanistas autem fraudis §. 4-to articuli hujus designatae Reos compertos in 2-do et 3-tio malitiae gradu, si proprietarii Urburarii fuerint, praeter praevias poenas, amissio quoque ratarum proprietarum respectivae fodinae; quoad officiales vero amotio ab officio cum inhabilitate ad quaevis servitia publica; ita et quoad laboratores proprio nutu fraudem patrantes eadem poena, quae quoad officiales statuta est; si vero iidem laboratores instrumentum tantum alterius ad patrandam fraudem fuerint, pro ratione graduum culpaе, aut malitiae poena solum carcerum, aut his substituenda baculorum locum obtinebit.

## ARTICULUS XLI.

*De Literalium Documentorum, Sigillorumque  
Falsificatione.*

§. 1. A reliquis Stellionatus speciebus Leges Hungariae separant, atque peculiariter de illis disponunt, quae ad literalium documentorum, eoque spectantium sigillorum falsificationem pertinent. Delicti vero istius reus est, non solum qui falsa ex integro documenta, vel Sigilla dolose fabricat, sed etiam qui qualitercunque manum alienam imitatur, subsignationes partium, aut ipse apponit, aut per alios apponi facit, vel jam rite confectorum documentorum tenorem, iis quorum interest, non consentientibus, in praedictum ipsorum mutat, aut falsitatis literarum conscius, ipsis utitur.

§. 2. Ut realitas delicti istius detegi valeat, non tantum character, ac stilus documenti, diversitas atramenti, dies, annus, locusque emanationis, subscriptio, sigillum, scriptura interlinealis, sed et reliqua loci, et temporis adjuncta in considerationem sumenda sunt.

§. 3. Ad gravitatem vero delicti hujus determinandam omnes itidem ejus circumstantiae expendentur. Ita inter publicorum, et privatorum documentorum corruptionem distinctio facienda est; sed et illi, quibus acta publica sunt concredita, gravius delinquunt, si eadem corruperint, quam si extraneus quispiam ad illorum corruptionem quidpiam contulerit. Gravius porro delinquit, qui ausu talismodi, Vitae cujuspiam, honori, et Bonis, quam qui alterutri saltem ex his, aut solum lucri cupidine Bonis, non vero Honori, aut Vitae insidiatus fuerit; quin culpa etiam, ac negligentia hoc in delicti genere locum saepius habere potest.

§. 4. Praeter damnorum, ac expensarum refusionem, quodsi in munere publico constitutus delicti istius reus fieret, idem perpetuo ab ejusdem exercitio amovebitur, ac insuper tam aro ipso, quam reliquis delicto huic implicitis eadem, quae ad crimen stellionatus constitutae sunt, poenae dictabuntur.

## ARTICULUS XLII.

*De Literarum Violatione.*

§. 1. Ad libertatem, securitatemque Civilem id etiam pertinet: ut nullius arcana, et correspondentiae Reipublicae innoxiae eodem invito propalentur. Sed et toti publico per insecureas correspondentias tantum adfertur incommodi, ut literarum violatio classem delictorum publicorum ingredi, adeoque publica etiam actione vindicari debeat.

§. 2. Quicumque igitur literas alteri inscriptas, debitaque forma sigillo munitas, dolose interceperit, detinuerit, sibi pro consignatione ad Postam, vel pro resignatione e Posta traditas suppresserit, aut qualitercunque violaverit, delicti publici reus est.

§. 3. Caeterum prout in aliis, ita hoc quoque in delicto diversi culpaе, aut malitiae gradus rite ab invicem distinguendi sunt. Qui jure literas alienas resignandi pollet, aut ex errore easdem ad se pertinere existimat, poena omni immunis est; qui aut ipse nimis curiosus est, vel ut aliorum curiositati inserviat, literas alienas reserat, culpa quidem haud vacat, minus tamen delinquit, quam qui in damnum alterius iisdem abutitur. Item si ausus repetitus sit: si ab eodem perpetretur, cujus fidei literae concreditaе fuerant; si grave exinde, seu publici, seu privatum damnum subsequatur, gravius utique delictum erit, quam si nulla ejusmodi aggravans circumstantia occurrerit. Judex igitur circumstantias omnes accurate dispiciet, atque ex earundem combinatione delicti, poenaeque gradum determinabit.

§. 4. Erit autem poena delicti hujus ultra jam prius etiam stabilitam 100 florenorum mulctam, eadem quoque actione publica desumendam, illatque damni bonificationem, in culpaе gradu 1-mo publica reprehensio; in gradu 2-do Arestum a die uno ad dies octo; in gradu 3-tio a diebus octo ad quindecim. In malitiae gradu 1-mo a diebus quindecim ad menses tres; in gradu 2-do a mensibus tribus ad sex; in gradu 3-tio a mensibus sex ad annum integrum.

Quodsi vero delicti istius reus fieret cui literae fide publica ex officio concreduntur, quales apud nos sunt Posta-

rum Officiales, eorundemque subalterni, eatenus poena expressa est articulo 12-mo, ubi de illis constitutum est, qui concredito sibi munere publico abutuntur.

#### ARTICULUS XLIII.

##### *De Incendiariatu.*

§. 1. Delicti hujus atrocitatem imminens societati Civili periculum constituit; subseque eodem intelligitur actus quilibet, quo periculose ignis aedificiis, silvis vel aliis quibuscunque rebus subjicitur.

§. 2. Incendiarii publici dicuntur, qui manifeste, adeoque cum hostilitate publica; privati vero, qui occulte, in utroque tamen casu malitiose incendia excitant.

§. 3. Quodsi cum hostilitate publica incendia excitentur, certum est, incendiarios hujusmodi, ut hostes publicos considerandos esse, adeoque ausum hunc ad alia etiam securitatem pulicam peturbantia delicta pertinere.

§. 4. Quodsi vero occulte ignis supponatur, cum redurdans potissimum ex hoc delicto in civilem societatem damnum in considetarionem veniat, speciem illius distinctio illa non immutat, utrum incendium ex ira, et vindicta; aut vero lucri cupidine excitatum sit.

§. 5. Praeprimis igitur id hoc in delicto dispicietur, an eodem non tantum res, sed vita quoque Civium periculo exposita fuerit? Circumstantiae praesertim temporis, atque loci malitosum delinquentis animum manifestant; aliud enim est, si quis in frequenti civitate, aliud si in loco solitario, item aliud, si de die, aliud si nocturno tempore incendium concitet, aliud si tempestate pacata, dum incendium facile restingui poterit, aliud vento furiente, dum vix aliquis incendio resistendi modus superest. Saepe etiam malitosus incendiarii animus e circumstantiis omnibus elucescit, nec tamen exinde mors ullius sequitur. Ex adverso accidit, ut delinquens vitae hominum nocere voluisse concludi non possit, et tamen aliquis intereat.

§. 6. Quodsi incendiarius ignem supposuerit, nec tamen idem erumpat, eundem quidem delictum e parte sua con-

sumasse verum est. cum tamen in delictis eorundem quoque quantitas, sive damnum etiam per eadem Reipublicae effective illatum attendi debeat, pari idem poena puniri nequit, qua puniendus erat, si incendium erupisset. Quin si eruperit etiam, datum attamen damnum exiguum fuerit, considerari ita haud potest, ac si stragem ingentem edidisset.

§. 7. Quodsi vero ignem supponens, antequam idem erumpat, poenitentia ductus, aut quocunque e motivo eundem suppresserit, clarum est: delictum ipsius pro consumato haberi haud posse, multo minus solam incendii comminationem adinstar delicti commissi puniendam esse.

§. 8. Quodsi demum incendium non malitia, sed culpa, vel negligentia exortum fuerit, idem pro ratione culpae vindicabitur. Occasione autem fortuitorum incendiorum nemo alter puniri potest, quam qui praescriptas in omni bene ordinata Civitate restinguendi incendii regulas transgredetur.

§. 9. Socii denique, et complices pro ratione circumstantiarum juxta generalia de complicitate delictorum principia judicabuntur.

§. 10. Quae autem de incendiis, eadem de aliis quoque delictis calamitatem publicam adferentibus intelligenda sunt. In specie ubi fluviorum inundationes aggeribus continentur, in eorundem destructione pari severitate procedetur.

§. 11. Quod poenam attinet, eadem praeter plenam damnificatorum indemnisationem, in culpae gradu 1-mo est carcer a die uno ad menses tres; in gradu 2-do a mensibus tribus ad sex; in gradu 3-tio a mensibus sex ad annum. In malitiae gradu 1-mo ab anno uno ad tres, in gradu 2-do ab annis tribus ad sex; in gradu 3-tio ab annis sex ad duodecim.

Ubi tamen ex supposito positiva malitia, atque intentione occidendi alium mors cujuspian, damnumque majus intervenerit, mors etiam delinquenti hujusmodi dictabitur.

*Delicta in morum corruptelam tendentia.*

## ARTICULUS XLIV.

*De Delictis adversus Religionem.*

§. 1. Cum Religio inter opportuna conservandae Societatis Civilis media praecipuum locum teneat, delicti eatenus, actione publica vindicandi reus est:

a) Qui persuadere aliis conatus fuerit, Deum nullum esse, aut humana non curare, aut denique talia Deo attributa appinixerit, quibus licentia delinquendi inter concives propagetur.

b) Qui Religionem nullam necessariam esse contenderit, Religionesque omnes risui, ac ludibrio exposuerit.

c) Qui rebus sacris ad fines indirectos malitiose, vel quaestus causa abutitur, adeoque credulorum phantasiis illudendo, ad contrarias legibus actiones eosdem inducere satagit; aut contraria quieti publicae principia sub Religionis praetextu rudibus animis instillat; aut sub specie curationis, vel qualitercunque fortunas, sanitatem, aut plane vitam Civium discrimini exponit.

§. 2. Hujus etiam delicti reus esse declaratur, qui Religionem in Regno, nec receptam, nec toleratam publice docere, aut vero Religionem, seu non receptam, seu pure toleratam publice exercere attentaverit.

§. 3. Qui vero e Regnicolis ad Religionem, aut non receptam in Regno, aut saltem in eodem toleratam transiret, eandemque publice exerceret, si praemissa competenti trimestri instructione porro quoque Religioni tali publice inhaereret, idem e Regno relegabitur.

§. 4. Caeterum in omnibus delicti istius casibus circumstantiae quaelibet probe expendendae sunt. Gravius enim est delictum: si loco, modo, ac tempore tali perpetretur, dum grave exinde scandalum exoritur; si ille patret, qui vi muneris sui, bono aliis exemplo praeire obligatur; si plurium ac praesertim rudiorum, atque delinquenti obnoxiorum seductio subversetur. Alleviat ex adverso: si malum modum ad plures pertigit, si non tam malitia, quam culpa, error, aut plane imaginatio delinquentem concitet. Pura

perfecto imaginatio ut morbus animi, et saepe e morbo corporis proveniens considerari debet.

§. 5. Poena in culpae gradu 1-mo est carcer a die uno ad mensem integrum; in gradu 2-do a mense uno ad duos; in gradu 3-tio a mensibus duobus ad tres. In malitiae gradu 1-mo a mensibus tribus ad sex; in gradu 2-do a mensibus sex ad novem; in gradu 3-tio a novem mensibus ad annum integrum, cum relegatione ad certum locum.

#### ARTICULUS XLV.

##### *De Blasphemia.*

§. 1. Sub nomine blasphemiae intelliguntur contumeliae in Deum, atque illa, qua ad cultum divinum pertinent.

§. 2. Cum autem experientia doceat blasphemias saepius ab ignorantia, et simul a quadam mentis perturbatione, vel a subitaneo furoris impetu, vel a vini abusu, vel denique ab animo ad omne aliud, quam maledicta in Deum, et religionem jactanda, intento provenire; et alioquin ignorantia, aetas, iudiciumque immaturum, atque poenitentia etiam in continenti declarata reflexionem promereantur, neque verba inconsiderata, impudica, et non aliud, quam eadem pronunciantis insaniam manifestantia, aut pro exprimenda tantummodo animi indignatione imprudenter excogitata pro blasphemia reputari possint; quemadmodum culpae, ac malitiae, ita et poenae quoque gradus hoc in delicto accurate distingvendi erunt, delictique magnitudinem redundantis potissimum in religionem contumeliae, datique scandali magnitudo definiet.

Delicti itaque hujus Reus erit, qui sanae rationis usum usque adeo abjecerit, ut Deum omnipotentem, eaque, quae ad cultum divinum spectant, dictis, scriptis, aut factis temerarie et contumeliose lacescere ausus fuerit.

§. 3. Poena delicti hujus in culpae gradu 1-mo erunt carceres a die uno ad mensem integrum; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a sex mensibus ad annum unum; in gradu 2-do ab anno uno ad duos; in gradu 3-tio ab annis duobus ad tres in domo correctoria exigendos.

## ARTICULUS XLVI.

*De Bigamia, et Polygamia.*

§. 1. Bigami sunt, qui duplici, polygami autem, qui pluribus matrimoniis eodem tempore obstringuntur. In quantum itaque legislationem poenalem attinet, eadem circa polygamiam, quae quoad Bigamiam considerationes sunt, nisi quod caeteris paribus graviorem poenam illa post se trahat.

§. 2. Prout ad alia, ita ad hoc etiam delictum dolus requiritur; quamquam culpa etiam quasi delictum sit, adeoque poenalis evadat. Ubi vero nec dolus, nec culpa est, poena omnis cessare debet; sic qui metu, vique impulsus, vel priorem conjugem mortuam credentes, vel ex inculpabili, seu Juris, seu facti ignorantia bigami flunt, puniri nequeunt.

§. 3. Porro ad delictum istud ultra receptas matrimonii legales solennitates corporis etiam commixtio requiritur; ubi igitur alterutrum horum defuerit, bigamia, vel polygamia est tantummodo attentata, vel inchoata.

§. 4. Hoc vero delictum, tam vir, quam mulier committit, dummodo conjux sit nec; tamen persona soluta cum alterius conjuge matrimonium iniens, ut et sponsus vel sponsa cum persona alia matrimonium contrahens, delicti istius argui potest; sed neque sunt bigami, qui per divortium quoad vinculum separati, aut in matrimonio ipso Jure nullo viventes, nuptias faciunt.

§. 5. Circa personam, quacum delinquens secundas init nuptias, advertendum vel maxime erit: utrum eidem de prioris matrimonii vinculo constiterit, aut saltem constare potuerit? Si enim pars ea, quacum secundae nuptiae contractae sunt, vinculum illud penitus ignovarit, jus quoque petendae indemnitate eidem ex integro salvum manet; secus eadem quoque ut complex delicti punietur, semper tamen levius, si dolus adsit, tanquam calamitate, in quam alioquin incidit, jam etiam punita.

§. 6. Caeterum praeter praeinsertam partis laesae plenam indemnisationem, poena delicti hujus in culpa gradu 1-mo sunt carceres a die uno ad mensem integrum; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in gradu 3-tio a mensibus

tribus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a mensibus sex ad annum integrum; in gradu 2-do ab anno uno ad duos; in gradu 3-tio ab annis duobus ad tres.

#### ARTICULUS XLVII.

##### *De Incestu.*

§. 1. Incestus in genere dicitur omnis inter personas ob consanguineitatem, vel affinitatem jungi vetitas concubitus; incapaces tamen doli, et qui in errore, vel ignorantia invincibili versantur, quod delicti hujus Rei non sint, jam e superioribus patet.

§. 2. Personae ad invicem jungi vetitae sunt in linea recta utriusque generis ascendentes, et descendentes omnes; in linea vero collateralis consanguinei, et affines intra gradus, in quibus lege civili, et respective ecclesiastica matrimonium contrahere vetitum est.

§. 3. Ad delictum porro istud concubitus, seu commixtio carnalis necessario requiritur, eademque seu contracto matrimonio, seu extra illud consumetur, incestus erit. Nec tamen sponsalia matrimonium constituunt, adeoque nec concubitus cum sponsae consanguineis incestus dici poterit.

§. 4. Gradus delicti hujus ipsiusmet consanguineitatis, vel affinitatis gradus potissimum definiunt. Atque ita pro gravissimo delictum istud reputatur, si inter ascendentes, et descendentes, et quia Vitrici, Novercae, Privigni, et Privignae personam horum repraesentant, si inter hos quoque commissum fuerit; minus grave censebitur, si in linea collateralis, et quidem gradu quo remotiori.

§. 5. Caeterum quemadmodum poena incestus ob repetitionem, concursum alterius delicti, velut Adulterii, Stupri violenti, caeterasque aggravantes circumstantias augeri debet: ita ex adverso minuetur, si dolus, culpave minor apparuerit; seductionis certe, aetatis, caeteraque temporis, loci, modique circumstantiae, hic quoque in considerationem sumendae sunt.

§. 6. Praeter plenam partis laesae indemnisationem, poena delicti hujus in culpae gradu 1-mo est carcer a die uno ad mensem; in gradu 2-do a mense uno ad tres; in

gradu 3-tio a mensibus tribus ad sex. In malitiae gradu 1-mo a mensibus sex ad annum integrum; in gradu 2-do ab anno uno ad duos; in gradu 3-tio ab annis duobus ad tres.

#### ARTICULUS XLVIII.

##### *De Adulterio.*

§. 1. Ex eo aequitatis principio, quodsi majus e poena detrimentum, quam utilitas in publicum redundare advertatur, delicta subinde dissimulari possint, ubi innocentis partis magis interest, ne domesticum malum manifestetur, delictum hoc in questionem vocare non licbit. Atque hinc de delicto isto tunc duntaxat Judex cognoscet, dum pars laesa inquisitionem, atque poenam expresse postulaverit. Quin nec illa amplius audietur, si sibi offensam, seu expresse, seu per ultro continuatam post cognitum Adulterium conjugalem copulam, vel qualitercunque adinvicem remiserint.

§. 2. In delicto hoc reflexio ad sexus diversitatem haberi nequit; et ideo aequali, tam maritus, quam uxor adultera poenae subjicientur, ac tantummodo ad subversantis culpae, vel malitiae gradum reflectetur.

§. 3. Gradum autem sequentes circumstantiae determinant, et quidem: alleviat delictum hoc conjugis impotentia, longior absentia, malitiosa desertio: insuperabilis a conjuge animi aversio, suppeditata a conjuge adulterandi occasio, Judicialis quoad thorum separatio.

§. 4. Aggravat ex adverso: si adulterium sit duplicatum, seu pars utraque vinculo matrimonii obstringatur; si post admonitionem, condonationem, aut plane castigationem factum reiteretur; si a talibus admittatur, quibus vi muneris, aetatis, aut cujuspiam alterius inter se relationis a delicto hoc peculiariter abstinendum esset.

§. 5. Poena adulterii in culpae gradu 1-mo est carcer a die uno ad dies octo; in gradu 2-do a diebus octo ad quindecim; in gradu 3-tio a diebus quindecim ad mensem unum. In malitiae gradu 1-mo a mense uno ad tres; in gradu 2-do a mensibus tribus ad sex; in gradu 3-tio a mensibus sex ad annum integrum.

## ARTICULUS XLIX.

*De Lenocinio.*

§. 1. Communiter quidem Lenocinii nomine venit alienae pudicitiae prostitutio quaestus causa. Cum tamen lucrum, quod Lenocinio quaeri potest, uti et lenonia opera multiplex sit, quin cum ille etiam reatu se obstringat, qui absque lucri studio, dolose tamen personam quampiam ad ejusmodi pertrahit occasiones, per quas subin ad libidinem exercendam seducitur, Lenocinium in genere est quodlibet factum, quo quis pudicitiae alienae prostitutionem dolo malo procurat.

§. 2. In determinando delicti, poenaeque gradu Judex cumprimis advertere debet ad personarum corruptarum aetatem, mores, ac conditionem, lenonis malitiam, damnumque, quod e lenocinio in personam corruptam, aut plane personas plures redundavit. Gravius certe puniendus leno erit, si idem plures jam personas seduxisset, si illibatae pudicitiae virginem, impuberem, parens filiam, maritus uxorem, tutor tutelatam, vel qualitercunque custodiae prostitute concreditam, aut vero tempore, loco, modoque, et astu peculiari prostituisset.

§. 3. Temperari vero poena poterit: si non tam dolus, quam culpa in lenocinio appareat, lucrum reipsa perceptum non sit, neque intentus concubitus in effectum deductus fuerit, si jam alioquin prostituerarum mulierum detrimentum subversetur. Ut complex autem delicti istius puniri debet, qui lenoni, aut ab eodem prostitutis domum scienter praebet, aut qualicunque ejusdem ministerio leno utitur.

§. 4. Praeter plenam indemnisationem poena culpae in gradu 1-mo est carcer a die uno ad mensem; in gradu 2-do a mense uno ad duos; in gradu 3-tio a mensibus duobus ad tres. In malitiae gradu 1-mo a mensibus tribus ad sex; in gradu 2-do a sex mensibus ad novem; in gradu 3-tio a novem mensibus ad annum integrum, cum expositione ad infamem columnam.

## ARTICULUS L.

*De Fornicatione, et Stupro.*

§. 1. In genere fornicatio quaevis delicta carnis complectitur; speciatim vero concubitás cum muliere prostitutae pudicitiae intelligitur, per idque a stupro distinguitur: quod hoc vitium honestae alias personae oblatum denotet. Sed et secus delictorum horum indoles diversa est; in fornicatione enim semet ipsam prostituens foemina, in stupro autem seducens pars pro delinquente poenae obnoxio reputabitur.

§. 2. Ad delictum hoc non semper requiritur: ut semet ipsam prostituens mulier, sive meretrix corpore mereatur; etiamsi gratis, si tamen passim pluribus semet prostituat, veneremque vulgivagam exerceat, delicti hujus rea est.

§. 3. Fornicationi aliae quoque delictorum species conjungi possunt, et tunc alioquin gravioris delicti poenam obtinere per se patet. Sed et solum fornicationis delictum diversos gradus recipit; gravius certe delinquit, quae palam pudicitiam prostituit, quam quae clam corpore quaestum facit; si identidem correpta sit; si tabe venerea alios infecerit; aut si cum aliis aggravantibus circumstantiis fornicatio exercita fuerit.

§. 4. In stupro etiam ad personarum, temporis, locique conditionem praeprimis advertendum est. Aggravat delictum hoc: si sub promissione matrimonii, aut alia extraordinaria quapiam astutia stuprum illatum sit; si vincula Officii, respectusque debiti violata, pluresve personae vitiatae, vel peculiaris in negando pertinacia, aut quaecunque alia malitia observata fuerit.

§. 5. Quodsi igitur stuprum per partem laesam Judicio deferatur, in fornicatione autem scandalum publicum subversetur, eadem semper puniri debent; et quidem ante omnia partis laesae indemnitas procurabitur, ad quam pertinent: expensae puerperii, cum ejusdem accessoriis, a proportione Status utriusque partis, nataeque prolis competens intertentio, atque educatio.

§. 6. Quodsi tamen incusatus demonstrare potuerit,

alium quoque cum persona impraegnata interea temporis concubuisse, idem etiam ad partem indemnisationis concurreret. Secus est, si comprobaretur, eandem compluribus semet prostituisse, tunc enim ipsi ut meretrici indemnisatio non competit; sed tantummodo natae prolis educationi, a proportione conditionis matris, et complicum per Judicium providebitur. In reliquo

§. 7. Poena delicti hujus in culpa gradu 1-mo sunt carceres a die uno ad quindecim; in gradu 2-do a diebus quindecim ad mensem unum; in 3-tio a mense uno ad duos. In malitiae gradu 1-mo a mensibus duobus ad tres; in gradu 2-do a mensibus tribus ad quatuor; in gradu 3-tio a mensibus quatuor ad sex.

#### ARTICULUS LI.

##### *De Delictis Luxuriae contra Naturam.*

§. 1. Generatim quidem horum omnis extinctio libidinis refertur, quae aliter fit, quam natura monstrat; in specie tamen tribus potissimum modis delictum istud committitur; nempe: aut semet ipso, aut cum sexus ejusdem, vel diversi personis, aut cum brutis animantibus.

§. 2. Caeterum his quoque in delictis sui sunt delictorum gradus; quemadmodum enim aetas, iudiciumque immaturum, educationis defectus, moralitatis ignorantia, actus, tantummodo attentatus, non vero consummatus, pro delinquentis alleviamine; ita aetas provecta, eminentior dignitas, actus repetitus, scandalum publicum, ac caeterae loci, temporis, modique circumstantiae pro aggravamine ejusdem deserviunt.

§. 3. Cum actiones impuras, quas ipsa natura exosas, atque abominabiles efficit, ita punire magis consultum sit: ne e publica ipsorum poena majus scandalum, ac Reipublicae detrimentum enascatur, delicta haec per Judicium nequam propalabuntur. Sed et ipsa animalia, quibus forte delinquens abusus est, ad abolendam nefandi hujus Criminis memoriam, autoritate Judiciaria, conspectui hominum clam perpetuo subducentur.

§. 4. Praeterea poena delicti hujus in culpaegradu 1-mo sunt carceres a die uno ad menses tres; in gradu 2-do a mensibus tribus ad sex; in gradu 3-tio a mensibus sex ad novem. In malitiae gradu 1-mo a mensibus novem ad annum integrum; in gradu 2-do ab anno uno ad tres; in gradu 3-tio ab annis tribus ad sex; castigatione privata juxta praevia principia pro circumstantiarum diversitate substituenda.

#### ARTICULUS LII.

##### *De scandalosis in publico Actibus.*

§. 1. Sunt etiam quaedam actiones, quae securitatem quidem civilem directe non impetunt; sed neque inter delicta ad securitatem eandem indirecte influxum habentia ob multiplicem eorundem varietatem certo nomine insigniri possunt, ac potius ad conservandam morum integritatem, externumque Civitatis decorem, ac ordinem pertinent; cum tamen corruptela, malumque ex iisdem proveniens ad publicam quoque societatem redundet, publicam etiam animadversionem exigunt. Tales sunt in genere omnes illi actus sermones, scripturae, imagines, et quaecumque alia, quae publico scandalum, bonisque moribus offensionem suppeditant.

§. 2. Delicti igitur istius Rei sunt:

*a)* Qui in via publica, aut in loco quopiam, ubi homines commeari solent, sese scandalose denudant, aut vestibus libidinis excitandae causa adaptatis induuntur, impudicis gestibus, cantilenis, ac dicteriis praetereuntes, et praesertim proborum adhuc morum adolescentes ad lasciviam asvefaciunt.

*b)* Qui in publico cum aliorum etiam offensione, personam quampiam ad libidinem provocat, aut plane libidini publicae vacat, gravius certe, ob datum publico quoque scandalum puniendus est, quam si id secreto faciat.

*c)* Qui libris, aut imaginibus, sculpturis, ac picturis lascivas actiones exhibentibus, publice quaestum exercet.

§. 3. Ausus hujusmodi praecavere, et si quando occurrerint, ne malum latius serpat, Magistratibus in facie

loci, in quo scandalum datum est, quo celerius vindicare incumbit.

§. 4. Poena in his etiam gradui culpae, vel malitiae proportionata esse debet. Erit autem in culpae gradu 1-mo arestum a die uno ad dies octo; in gradu 2-do a diebus octo ad dies quindecim; in gradu 3-tio a diebus quindecim ad viginti. In malitiae gradu 1-mo a diebus viginti ad mensem unum; in gradu 2-do a mense uno ad duos; in gradu 3-tio a mensibus duobus ad tres. Ubi tamen juventutis corrumpendae periculum subversaretur, poena haec ad annum etiam integrum extendi poterit.

#### ARTICULUS LIII.

##### *De Vagabundis, eorumque Fautoribus.*

§. 1. Pro vagabundis eorumque fautoribus reputandi sunt omnes illi:

a) Qui absque eo, quin ad notitiam publicam, de honesta ipsorum vivendi rationi constet, absque fidedignis passualibus hinc inde commeant.

b) Qui semet occulte ad loca quaequam recipiunt, apud incolas privatim latitant, quin semet Jurisdictioni locali insinuent.

c) Qui per competentem Magistratum ex officio procedentem de conditione, scopoque itineris sui interrogati, aut non respondent, aut in mendacio deprehenduntur.

d) Fautores autem sunt; qui re superioribus non indicata quemdam domi suae foveant, cujus honestus suimet sustentandi modus ignotus est; suspectos, vagabundos, Jurisdictioni publicae non insinuant; eosdem occultant, et qualitercunque auxilium ipsis subministrant, ne detegantur.

§. 2. Tales profecto per localem quamlibet Jurisdictionem detineri, atque in examen attrahi possunt; ac licet nullius alterius delicti Rei esse comperirentur, ob vagam solummodo, otiosamque vitam pro circumstantiarum diversitate punientur. Et quidem

§. 3. In culpae gradu 1-mo poena hujusmodi delinquentium est carcer a die uno ad dies octo; in gradu 2-do

a diebus octo ad quindecim; in gradu 3-tio a diebus quindecim ad viginti. In malitiae gradu 1-mo a diebus viginti ad mensem unum; in gradu 2-do a mense uno ad duos; in gradu 3-tio a mensibus duobus ad tres.

#### ARTICULUS LIV.

##### *De Delictis hoc Codice non nominatis.*

§. 1. Praeter delicta hactenus pertractata, sunt adhuc aliae legum transgressionibus pariter poenales. Illae in quantum speciales eatenus leges conditae sunt (nisi lege, aut consuetudine subsequa abolitae essent) juxta easdem pertractandae, ac plectendae sunt. Eorsum itaque pertinent: lusus prohibiti, taxae mercium transgressio, nociva monopolia, vel itam, si quis justis quidem mensuris, ac ponderibus, sed false prima tantum, vel secunda vice utitur, atque alia expressis apud nos legibus speciatim definita, aut in posterum circumstantiis exigentibus definienda.

§. 2. Innumeri certe praeterea in vita humana occurrunt casus, e quibus non tam malitiae, quam inconsiderantia, culposa negligentia, aut petulantia elucescit. Interim stristissimas saepe actus ejusmodi sequelas post se trahunt.

§. 3. Sic publicarum calamitatum avertendarum causa, uti pestis, incendii, famis, caeterorumque hujusmodi, positae a parte publicae cautelae si quispiam transgrediatur, exigua non raro inconsiderantia, deplorandam toti publico stragem edit.

§. 4. Delinquit igitur, qui e provincia alicui, adversus quam, ob morbi epidemici metum, certum quodpiam expiationis tempus exigi jussum, aut linea forte ducta est, clam Regnum subintrat, mercesque invehit, aut qualitercunque in publicam salubritatis curam accomodanda circumstantiis statuta transgreditur. Talis pro earundem circumstantiarum exigentia statuendis per executivam potestatem poenis subiacebit.

§. 5. Delinquit etiam, qui observata luis, vel rabiei in pecoribus suis indicia tempestive non manifestat, aut ipsemet medelam non ponit; in locis frequentibus laqueos,

foveasque feris captandis ponit, aut foveas frumentales periculose facit; pecus morticinum in puteum, fluviumve potui civium deservientem abjicit; in stabulis, aut quibuscunque locis igni facile obnoxiiis fumum tabacae haurit, ignem, aut lumen in similibus locis laterna haud munitum circumfert, aut tale quid in genere committit: quod localibus circa praecavenda incendia statutis, et consuetudinibus adversatur.

§. 6. Poenalis sane est etiam inconsiderantia, vel negligentia: si quis, seu equo, seu currui insidens, concitatori cursu quempiam prosternat, aut laedat; si quispiam, qui se adversus periculum tueri nequit, dum e legibus communis humanitatis auxilium ipsi ferri potuisset, ac debuisset, adjutus non est; quod ipsum eo magis evadit culpabile, si aliquis in aquam praecipitatus, equis prostratus, aut propria culpa laesus fuerit, quod tamen per debitam illius vigilantiam evitari potuisset, cui cura infelicis hujusmodi, seu ex naturali, seu civili quapiam obligatione incumbebat.

§. 7. Poenalis demum est petulantia: si quis id, quod in communem utilitatem, commoditatem, aut voluptatem aedificatum, plantatumve fuerit, laedat, vel plane demolitur; per fenestras, aut secus etiam, in domos quidpiam ad damnum alteri inferendum injiciat; in transeuntes aliquid effundat, ejiciat, aut quocunque alio modo praetergredientibus molestiam facessat; importune mendicando, stipem vi quasi extorqueat; ad temeraria litigia, querelasque infundatas maliciose concitet.

§. 8. Cum autem petulantiae, huicque similium delictorum genera admodum diversa sint, sed et caliditatis, negligentiae item, ac inconsiderantiae culpas omnes, casusque, ac actiones horum pertinentes in lege exprimere haud sit possibile: in his omnibus iudex illatum societati civili damnum, ac gradum culpae, vel malitiae delinquentis in considerationem semper sumet; ac praeter plenam illati damni redintegrationem, circumstantiis delicti proportionatam, atque in supremo malitiae gradu delictorum grave societati civili detrimentum inferentium, usque etiam annum integrum

extendendam aresti, aut vero loco ejusdem, juxta praeinserta principia baculorum, vel pro honoratioribus poenam mulctae pecuniariae pronuntiabit.

§. 9. Poenale denique erit, si quis imperfectae aetatis, absque parentum, vel iis non existentibus, competentis superioritatis consensu, matrimonium inierit, et qui tales illicite copulaverit; in cujus reatus tertio malitiae gradu copulati quidem, poenae trimestralis aresti, cum hebdomadali duorum dierum jejunio separatim sufferendi; copulantes autem sensibili, et exemplari poenae per competentem ecclesiasticam superioritatem irrogandae subjiçientur.

## INSTRUCTIO

pro Magistratualibus Personis, Localibus Jurisdictionibus, Medicis, Chirurgis, et Obstetricatoribus, vel Obstetricibus Jurisdictionum in Causis publicis observanda, inque partis 1-mae Art. 3-tii §pho 3-tio provocata.

### *Praefatio.*

Defectus notionum Medicarum in Magistratualibus, et Jurisdictionibus Localibus, necessarium facit, eos in qualitate laesionum corporearum dijudicanda, a personis Medicis dirigi. Sed cum Judicia etiam personarum Medicarum niti debeant eventibus, adjunctisque omnibus, quae corpus laesum quoquo modo attinebant, eorumque, quae acciderunt, historica verificatio Jurisdictionis competenti sit: cum porro diversae sint in Republice personae Medicae, eorum, quae competens Jurisdictio ad sui a personis Medicis legitimam directionem obtinendam curare, et observare debet, instructio duas partes continebit.

1-ma. Quid curandum sit Jurisdictioni Locali, aut Magistratuali, ad obtinendam historicam verificationem omnium adjunctorum laesionem corpoream attinentium, adque ejus qualitatem determinandam inserviturorum?

2-da. Quibus personis credere debeant Judicia determinationem qualitatis, quantitatisque laesionum corporearum, e legitime verificata adjunctorum omnium historia desumendam?

---

## PARS PRIMA.

§. 1. Cum primum Jurisdictioni locali, aut Magistratuali personae de vi qualicunque corpori illata constitit, sequentia personis in Codicis de delictis, et poenis partis 1-mae articulo 3-tio designatis, investiganda, et agenda sunt: Quo tempore, qua diei parte laesio acciderit? quo in exercitio corporeo? quo in animi affectu? qua in sanitatis conditione? an, et quibus cibis satur? an et quanto vino plenus fuerit laesus? quis modus, instrumentumque laedendi, quantitas vis corporeae a laedente adhibitae? an, et quorsum laesus ceciderit, quibusve sui partibus illisus sit? quos sub laesione, postque eam motus, aut functiones corporis ediderit, aut animi affectus? quae vestigia laesionis loco adhaerentia, quae conditio loci, in quem laesum corpus recubuit?

§. 2. Statim atque de laesione facta relatum est, oportet ad locum, si ibi adhuc laesus adsit, exire, religationem ejusdem vulneris ante translationem, translationem vero conditioni laesionis, et anni tempestati accomodatissimam procurare; una autem situm ejusdem, in quo inventus est, uti et tempus, quod a laesione ad personarum revidentium adventum intercessit, et ab hoc in translationem insumtum est, aliaque omnia, quae interea acciderant, accurate adnotare.

§. 3. Si laesus antea a privatis quibuscunque aliorum translatus est, de tempore, modo, diuturnitate translationis, effusionibus sanguinis, aliisque adjunctis, quae in laeso acciderant, coram praemissis personis (examen hoc, si praesens fuerit, dirigente Medico, aut Chirurgo) privati illi fateantur.

§. 4. Licitum quidem erit laeso, vulneris, morbique

sui in se excitati tractationem committere cui volet, interim is teneatur, quamdiu vitae periculum subversatur, admittere Medicum, aut Chirurgum Jurisdictionis; qui in quantum non impediretur, conditionem praesentem laesi corporis, omnesque deinceps ad mortem usque mutationes, diaetam a laeso observatam, rerumque externarum adjuncta aegrum afficientia, officiose referat; cui relationi subscribet etiam ordinarius aegri sive Medicus, sive Chirurgus si velit; si nolit, liberum ei erit officiosae personae Medicae relationi privata contradictione intercedere. Huic relationi apponenda erit etiam expositio medicaminum interne, et externe, adhibitorum. Si Medicus, aut Chirurgus Jurisdictionis Curae praefuit, ipse eam de suis actis, eventibusque relationem est praestiturus.

§. 5. Quodsi Magistrualis, aut localis Jurisdictionis personae cum Medico, aut Chirurgo in laeso speciem mortis deprehendunt, tunc quidem: si spes aliqua sit vitae revocandae, ea ipsis agenda erunt, quae huc scient, judicabuntque pertinere, de qua eorum effectu competenti Jurisdictioni relationem facient; sin minus, adnotabunt inventa signa decisiva mortis, situmque, in quo cadaver inventum sit. Porro examinabuntur, qui aderant laesioni mortique, ut resciaur, quae symptomata quantum tempus laesionem, mortemque intercesserint? quae mutationes factae in et cum cadavere usque ad tempus adventus praemissarum personarum? Quibus omnibus factis, de cadavere ad locum instituendae sectionis rite, atque ita deportando, ne per id mutatio in ipso alique notabilis accidat, providebitur, beneque huic deportationi descriptio externi habitus cadaveris praemittetur.

§. 6. Oborta porro de veneno exhibito denunciatione, aut justa suspicione; praescriptae personae ad locum, ubi illa facta est, se conferent, ibique res omnes, quibus venenum inesse praesumitur, aut praesumi potest, aut de quibus sumtum fortasse venenum est, (ut planta, cujus fortasse baccae intoxicarint) idoneis vasis reclusas obsignabunt; donec suo loco reseratae, Medico Jurisdictionis, ad faciendum Botanicum, Chemicum, aut Therapeuticum examen, tradantur.

§. 7. Circa consignationem historicam symptomatum, curae, diaetae, qualiscunque aegro intoxicato adhibitae, utrumque durationis, temporis, et adjunctorum mortis, phaenomenorum denique, quae in cadaver intoxicati se exeruerint, eadem observabuntur, quae superius praescripta sunt.

§. 8. Examen Chemicum, Botanicum, aut Therapeuticum eorum, quibus venenum inesse praesumitur, si ea corruptioni, alterationique obnoxia sint, quantocyus instituetur a Medico, praemissa descriptione accurata speciei externae, quantitatis, ponderis ac nefors aliorum. Si res conservari apta sit, Medicus Jurisdictionis aliquam tantum partem insumet examini Chémico, aut Therapeutico, ut si forsán Facúltatis Médicae superrevisio ex eo necessaria videretur: quod ipse idoneis Chémicis Reagentibus destituatur, praesto sit quod eodem transmitti possit; quo in casu objectum investigationis a Magistratuali Persona obsignatum, imprimis vero plantas ita componendas et transmittendas procurabit, ne natura, speciesque rei in itinere pereat.

§. 9. Facturus autem de examine hoc relationem Medicus, non satis habebit dicere, quid sibi in illius consequentiam objectum examinis esse, aut non esse videatur, sed recensebit instituta a se examina, eorumque eventus, determinationisque a se factae rationes in specifico exponet.

§. 10. Si vero ejus corporis, ope cujus intoxicatio facta praesumitur, haberi nihil possit, per exauditionem testium facti cognitionem habentium (examen dirigente, si adfuerit, Medico, vel approbato Chirurgo) quantum potest de sensilibus corporis praesumpti qualitatibus, de modo, quo administratum est, de tempore, quod sumtionem, et effectus morbosos intercessit, investigatio fiet, ut ita saltem remotius ad veritatem rei cognoscendam accedi possit.

§. 11. Ubi cadaver hominis apparenter vita functi inventum renunciatur, praenotatae personae, notata et renunciationis, et ejus temporis hora, quo renunciantes visum, aut inventum a se cadaver esse profitebuntur, continuo ad faciem loci exhibunt: ac primo quidem, nisi explicita sint signa mortis, necessarios ad excitationem ab apparente morte conatus facient, quo nec quidquam acto, notabunt

situm, in quo mortuus inventus sit, et conditionem, situm vestimentorum, excretionum hominis, si quae adsint, indolem loci, in quo inventus est, e. g. an apricus, umbrosus, sub quibus arboribus? an sabulosus, paludosus, quibus herbis refertus? etc. Porro quae vestigia hominum, animalium, aliarum rerum in loco, mobiliaque omnia circuminventa, ad Judicium referentur. Quibus omnibus rite peractis cadaver ad locum sectionis legalis debito modo referetur.

§. 12. Si cadaver a privatis, aut resuscitandi causa, aut scopo removendi e loco publico, aliorum deportatum est, conditio quidem loci, ubi inventum est, priore modo examinabitur, uti et locus, ubi nunc depositum habetur. De situ autem, de iis, quae circumjacuerunt, de modo, tempore, et duratione translationis, de adminiculis ad resuscitandum a quocunque adhibitis, de eorum eventu, ii, qui rebus his praesentes erant (iterum examen dirigente, si praesto fuerit, medico, aut approbato chirurgo) examinantur.

§. 13. Ubi persona quaedam in suspicionem patricii infanticidii incidit, Magistratus, aut localis Jurisdictionis personae continuo ad locum domicilii ejus se conferent, et apprehensa persona, si sana sit, omnia simul ejus utensilia pervestigabunt, omniaque vestigium sanguinis habentia in praesentia domesticorum testimonio futurorum apprehendent, Judicio suo tempore admanuanda; cui et super conditione inventi domicilii relationem facient. Si persona sive aegra sit, sive aegritudinem fingat, eo medicus, aut hoc deficiente chirurgus cum obstetrice vocabitur, super qualiter deprehenso personae statu relationem circumstantialem facturi.

§. 14. Personae in quaestionem adductae partes genitales, et foemineas chirurgus obstetricator, aut in hujus defectu duae, vel una obstetrix coram medico, si haberi potuerit, investigationis capita si opus fuerit directuro, investigabit, et qualiter inventam earum conditionem describet, vel enarrabit, a medico, vel persona magistratuali, aut localis Jurisdictionis, chartae consignandam, et subscribendam. Porro instituetur in praesentia (si haberi potuerit) medici exanem :

quaereturque: an persona, quam gravidam fuisse fortasse jam constat, praesciverit tempus partus? an amicae alicui statum suum aperuerit? an, et quales dispositiones ad partum excipiendum, porroque aler dum foentum fecerit? an sciverit, quae soleant sub partu accidere, quidve cum enixo foetu agendum sit? an, et quales causas celandi partus habuerit? porro quaerendum: an praevisto tempore, quibus sub adjunctis rerum domesticarum, qua sub animi, aut corporis conditione, partus dolores accesserint? an eos pro talibus habuerit? quid tum egerit? quae impedimenta libere, et sine metu agendi? fortassis etiam improvisa accesserint? quo tempore, quo loco, quibus cum adjunctis; quibus praesentibus? an se ipsa conscia partus acciderit? sibi reddita ubi? quo situ? quas inter partes sui corporis, aut res vicinas, placentam, cruorem ex utero profluum, et infantem invenerit? an vocem infantis audierit? an aliquid, et quantum ad percipiendam, et excitandam vitam egerit? an conata sit religare, et scindere funiculum umbilicalem? an, et quibus e signis putavit mortuum? an, et utrum e destinatione, aut subita extemporanea, et unde provocata resolutione vim foetui, et qualem, quove effectu intulerit? quid ad eum, sive vivum, sive mortuum celandum egerit? celatus quibus loci, aëris, anni tempestatis, aliorum animalium injuriis expositus fuerit, aut esse potuerit? an, et unde impedita sit ea agere, quae ad clam conservandam infantis vitam fortasse destinaverat, an vivum dum celaret infantem postea mortuum, et qua specie, quomodo ve mutatum deprehenderit? an, et quid ad eum prorsus humandum egerit? Haec omnia inservient ad determinandum, matrisne voluntario vitio, an ob ejus stupiditatem atque inscitiam, an casu denique mors foetus acciderit? quibus sagax, et humanitatis amicus Medicus in casibus specialibus, plures adhuc quaetiones e singulari eorum casuum indole derivandas sciet addere, ad perfectam omnium, quae in tristibus bis casibus accidunt, historiam obtinendam.

§. 15. Circa foetum sequentia legitime investiganda sunt: quo tempore, loco, situ, quibus rebus tectus, involutus deprehensus sit? an cum placenta, an sine ea? an haec

rescissa a funiculo umbilicali, an non? an hic ligatus? an circum vestigia sanguinis? an ori immissum quid peregrinum? an circumdatum collo, corpori, strangulans quid? an vestigia vis externae illatae? an species corporis robusti, an debilis? un foetus maturus, an immaturus? et quot mensium? an monstrosus? mutilus? quod spatium temporis inter partum, et inventionem? an, et quae signa putredinis? Atque his demum rite examinatis, et in scriptum sumtis, sectio legalis facienda est.

§. 16. Locus, in quo sectio legalis instituitur, sit quam per adjuncta fieri potest mundus, amplus, aëre perflatus, amotus tamen ab eorum obtutu, qui a spectaculo sectionis male possint affici, imprimis foeminarum.

§. 17. Tempus sectionis in paulo ante mortuis est illud, quo de morte perfecta certi esse possumus; quod in casibus singularibus decisioni personae medicae relictum esse debet. Si aperta putredinis signa praesto sunt, fieri debet sectio quantocius, ut inde adstantes eo saltem minus male afficiantur.

§. 18. Sectioni cadaveris adesse, visumque repertum coramisare debent vel duo e Jurisdictione locali Jurati, vel unus districtualis Magistratualis, qui de eo etiam providebunt: ut functionibus ministrilibus peragendis idonei famuli subserviant. Sectionem peragent in praesentia medici, si haberi potuerit, secus sine hoc, duo approbati, vel unus approbatus chirurgus. Porro medici etiam, aut chirurgi, qui vivo adhuc aegro opem tulerant, utiliter intererunt sectioni; debentque omnes admitti, quorum praesentiam, aut laesa pars, aut laesionis Rei requirunt.

§. 19. Chirurgorum Jurisdictionis officii erit, instrumenta sectionis legalis semper ita conservare, atque in promptu habere: ne forte occurrente necessitate, inde aut impedimentum, aut retardatio functionis legalis nascatur. Praeter haec adesse debent vasa partim mensurae humorum fortassis extravasatorum capiendae apta, partim excipiendis visceribus, quae ad meliorem investigationem singulatim de cadavere eximuntur.

§. 20. Hisce omnibus praevie comparatis, fiat primum

descriptio speciei externae cadaveris, gradus item foetoris, et putredinis, cavitatumque foras patentium; singulatim vero loci, in quo vestigia aliqua laesionis externae insunt; instrumentum, quo laesio facta praetenditur, comparetur cum hiatu vulneris, determineturque mensuris etiam civilibus ejus amplitudo, et profunditas; in infantibus porro singulariter conditio funiculi umbilicalis. His vero factis, transeat ad sectionem ipsarum cavitatum singularium, de qua generatim curandum: ut culter, aut serra, quam potest, regionem laesam evitet, ut ea quam proxime, nil mutata, lustrati etiam interius possit.

§. 21. Fiat initium sectionis a capite, inde aperiatur colli pars anterior, thorax, abdomen, scrotum; investigentur denique renes, et postea converso cadavere spina vertebrarum. Non sufficiat autem superficialis investigatio partium singularium, sed primo investigato laesionis per interiora cavi aperti progressus, et conditione; porro quodvis viscus examinato prius externo habitu, et ad vicinas partes situ, si necesse sit, exentum secetur per totam substantiam, ad pervidendam, si quae sit, degenerationem internam; pulmonum in infantibus notetur specifica gravitas, cavorum investigentur etiam superficies internae, ac res illis contentae, resque praeternaturales, aut veneni speciem habentes, non notentur tantum, sed debite reclusae signentur, et repnantur interea, modo superius dicto melius deinceps examinandae. Denique inventorum nefors extravasatorum locus, natura, quantis, degeneratio consignetur. Quibus in agendis non antea ab una parte corporis investiganda, ad aliam transeat, quam priore illa prorsus, adque satisfactionem etiam adstantitas medici, vel medicorum examinata, visoque reperto ejus partis, chartae consignato.

§. 22. In hac autem consignatione historica facienda id maxime curabitur: ne descriptio laboret vitio subreptionis, terminisque concepta sit theorias Pathologicae specialis involventibus, sed talibus prorsus, quae rem plane, ut oculis etiam ignarorum Medicinae spectatur, exponunt. Consignationem hanc in scriptum redigent duo approbati, vel unus approbatus Chirurgus, ita tamen: ut si cui adstanti personae

Medicae aliqua Chirurgorum expressio non placeret, liberum sit ei suam propriam consignationi subnectere, addita retione dissensionis. Finita sic consignatio omnium in cadavere inventorum, a duobus, vel uno Chirurgo subscribetur, et subsignabitur, a Magistratuali autem, vel localis Jurisdictionis personis; et Medicio coramisabitur, venietque sub nomine visi reperti. Cujus exordio mentio fiet Jurisdictionis, ad cujus vocationem sectio instituta est. Porro apponetur nomen, cognomen, sexus, aetas, vitae conditio, artificium ejus, cujus cadaver secatur, in fine autem annus, mensis, dies, hora institutae sectionis. Ita perfectum opus recipient ad se duo approbati vel unus approbatus Chirurgus, prout videlicet sectioni interfuerint, opinionemque suam rite expensis omnibus adjunctis deproment. Inventa autem nefors in cadavere instrumenta laesionis, quorum descriptiva mentio jam in praevia consignatione debebat fieri, tradentur Magistratuali, aut localis Jurisdictionis personis; corpora autem perigrina, petendam ex Materia Medica determinationem requirentia, Medico Jurisdictionis faciendae ejus determinationis, superque hoc relationis scopo tradentur.

---

## PARS SECUNDA.

§. 23. Collectis ita omnibus, quae ad historiam, decursum, adjuncta laesionis, aut sumti veneni, omniumque, quae eam deinceps consecuta sunt, omnium porro, quae circa cadaverum inventorum adjuncta resciri legitimis testimoniis poterant; necesse est ex his scientifice determinare; in quas causas cognita, aut detecta mors rejici, atque referri debeat. Namque his demum enucleatis, de puniendo, aut non puniendo cogitari potest. Ea determinatio, prout summi ad Judicium ferendum momenti est, ita plurimis in casibus penitorem Botanicam, Chemicam, Anatomicam, Physiologicam, Pathologicam, Therapeuticam Scientiam supponit. Potest ergo auctoritate publica ab iis tantum peti, a quibus hanc scientiam Respublica jure potest exigere. Unde Medica Opinio semper erit necessaria, et in quibusnam casibus unius, in quibus duorum Medicorum Opinio requiratur, et

quid iis dissentienibus agendum? alioquin in Codicis partis 1-mae articulo 10-mo §. 44. jam definitum est. Hoc praemisso, sequens ad praedictam determinationem legitime obtinendam ordo observandus est:

§. 24. Collecta omnia ex praemissis investigationibus obtenta documenta, aut in paribus, aut in originali, erga specificas reversales una cum opinione approbati Chirurghi, aut Chirurgorum tradentur Medico Jurisdictionis, aut tot eorum, quot sunt; quorum officii erit, superrevisa Chirurgica Opinione Causas, cui deprehensam mortem suo Judicio adscribunt, enucleate describere, additis ubique sententiarum suarum momentis, speciatim vero determinare aut id, quantum nempe, et quantopere actio personae laedentis cognita ad mortem contulerit? aut vero, si cognita illa non sit, quod genus qualiscunque laesionis externae, aut interni vitii, proprius mortem causasse videatur. Elaboratum sic Judicium Medicum circumstantiale subscriptum, subsignatumque basis erit ferendi Judicii.

§. 25. Si laesum hominem non statim mortuum curavit Medicus Jurisdictionis, Judicium Medicum super hoc casu elaborandum, Medico Jurisdictionis alteri, aut vicinae Jurisdictionis Medico deferendum erit, ne detur occasio formandae contra curantem Jurisdictionis Medicum exceptionis: quod erroris a se forsitan commissi consecutaria in laedentem conjiciat.

§. 26. Quodsi tamen casus prorsus speciales emergerent, quos ad mentem Codicis partis 1-mae art. 10-mi §. 44. Medici Jurisdictionum definire non possent; aut ipsemet Jurisdictionis Medicus, humanitatis memor, casum tantae attentionis esse reputaret: ut altiore indagine promereri videatur; vel ad casum aliquem examinandum, definiendumque idoneis Chemicis reagentibus, aliisque (uti §. 8. adnotatum est) destitueretur: talibus in casibus per Physicum Jurisdictionis ad Judicium, cujus Judicatum causa subest, recurrendum, et medio illius ad praedictam determinationem legitime obtinendam, opinio, et decisio a Facultate Medica in Regno constituta expetenda veniet.

## CONSPECTUS OPERIS.

---

Principia. ....	Pag. 4
-----------------	-----------

### PARS PRIMA.

Art.	
I. De iis, quae Capturam praecedunt. ....	15
II. De Captura, et ejus impedimentis. ....	17
III. De Obligatione localis Jurisdictionis occasione Capturae. ....	19
IV. De Obligatione Individui e Magistratu, cui Incusatus resignatur. ....	21
V. De Obligatione politicae Jurisdictionis, cui interceptus resignatur. ....	23
VI. De Custodia, et modo Incusatos ante finalem Sententiam tractandi. ....	24
VII. De Judice, et Judicatu in Causis publicis. ....	25
VIII. De Actoratu. ....	27
IX. De Examine Judiciali. ....	27
X. De Probationibus in genere, et specie. ....	29
XI. De Requisitis Judici. ....	40
XII. De Circumstantiis Delicti imputationem impediens, vel Delictum alleviantibus. ....	42
XIII. De Circumstantiis aggravantibus. ....	46
XIV. De Sententia. ....	47
XV. De Appellata. ....	51
XVI. De Novo Judicio. ....	53
XVII. De Executione. ....	54
XVIII. De Aggratiatione. ....	56

### PARS SECUNDA.

#### *Delicta adversus Securitatem publicam.*

I. De Nota Infidelitatis. ....	57
II. De Delictis adversus Jura Regis, et Regni. ....	59
III. De Seditione, et Tumultu. ....	59

Art.	Pag.
IV. De Salvi Conductus Violatione. ....	60
V. De Violentia publica. ....	61
VI. De Termini motione, sive Metarum destructione. ....	62
VII. De Involatione in Jurisdictionem Magistratualem. ....	63
VIII. De Violatione Custodiae publicae. ....	64
IX. De Occultatione Delinquentium. ....	65
X. De Fautoratu desertorum Militum. ....	66
IX. De Crimine Ambitus. ....	67
XII. De iis, qui concredito sibi Munere publico abutuntur. ....	67
XIII. De Cassarum publicarum Contrectatione. ....	68
XIV. De Monetae, Chartarumque publicarum confectione, et falsificatione. ....	69
XV. De falsa Delatione, sive Calumnia. ....	70
XVI. De falsis Testibus, seu Perjurio. ....	71
XVII. De Testificationis denegatione in Causis publicis. ....	72
XVIII. De Saevitie in Jurisdictionatos. ....	73

*Delicta Vitae Civium, Corporisque incolumitati noxia.*

XIX. De Homicidio. ....	73
XX. De Parricidio, caeterisque Jura sangvinis violanti- bus caedibus. ....	76
XXI. De Infanticidio. ....	77
XXII. De Abortus procuratione. ....	78
XXIII. De Infantum Expositione. ....	79
XXIV. De Assassinio. ....	80
XXV. De Intoxicatione. ....	81
XXVI. De Toxicorum, et nocivorum medicamentorum ven- ditiōne. ....	82
XXVII. De Latrocinio. ....	82
XXVIII. De Propricidio. ....	83
XXIX. De Duello. ....	84
XXX. De propria Mutilatione. ....	85
XXXI. De Verberationibus, Vulnerationibus, ac Mutila- tionibus. ....	86
XXXII. De Parentum verberatione. ....	88

*Delicta Honori Civium injuriosa.*

XXXIII. De Injuriis. ....	88
---------------------------	----

*Delicta, Bona, Facultates, Libertatemque Civium impetentia.*

XXXIV. De Praedocinio, et Rapina. ....	90
XXXV. De Plagio. ....	91
XXXVI. De Raptu. ....	92
XXXVII. De vi Pudicitiae illata. ....	94

Art.	Pag.
XXXVIII. De Furto. ... ..	95
XXXIX. De Furum Fautoratu. ... ..	98
XL. De Stellionatu, seu Falso. ... ..	99
XLI. De Literalium Documentorum, Sigillorumque Falsificatione. ... ..	103
XLII. De Literarum Violatione. ... ..	104
XLIII. De Incendiariatu. ... ..	105
<i>Delicta in Morum Corruptelam tendentia.</i>	
XLIV. De Delictis adversus Religionem. ... ..	107
XLV. De Blasphemia. ... ..	108
XLVI. De Bigamia, et Poligamia. ... ..	109
XLVII. De Incestu. ... ..	110
XXVIII. De Adulterio. ... ..	111
XLIX. De Lenocinio. ... ..	112
L. De Fornicatione, et Stupro. ... ..	113
LI. De Delictis Luxuriae contra Naturam. ... ..	114
LII. De Scandalosis in publico Actibus. ... ..	115
LIII. De Vagabundis, eorumque Fautoribus. ... ..	116
LIV. De Delictis hoc Codice non nominatis. ... ..	117
Instructio quoad Visum Repertum, pro Magistratualibus personis, Localibus Jurisdictionibus, Medicis, Chirurgis, et Obstetricatoribus, vel Obstetricibus Jurisdictionum, in Causis publicis observanda. ... ..	120

CODEX  
de  
Delictis, eorumque Poenis,  
in  
*Legem refertur.*

---

ARTICULUS.

In consequentiam articuli 67. 1791. Codice de delictis eorumque poenis, pro Tribunalibus Regni Hungariae, partiumque eidem adnexarum, per ordinatam eatenus Deputationem elaborato, atque per Status etiam, ac Ordines Regni in modernis Comitibus approbato annuente Sua Majestate Sacratissima, Codex idem pro lege publica norma in omnibus Regni Hungariae, partiumque eidem adnexarum Judiciis observanda declaratur. Speciatim autem circa eundem Codicem sequentia constituuntur, et quidem:

1-mo. Leges in Codice hoc contentae a tempore promulgationis post sex menses, omnes, et singulus Regni Cives indiscriminatim obligabunt, ac tam in Forma procedurae cum delinquentibus, quam in dictandis poenis, semet eidem Fora, ac Judicia omnia ad amissim conformabunt. Adeoque his contrariae, et quaecunque diversae ab his anteriores leges omnes pro abolitis declarantur, neque alias usus illarum in Judiciis haberi poterit, quam adversus delinquentes, qui intra sex menses a die promulgationis praesentis Codicis, jam sub inquisitione constituti fuerint, Sed nec subsequere ullus propter alie, quam quae hoc in Codice expressa sunt delicta, actione publica convenietur.

2-do. Judices verbis legum in Codice hoc contentarum ad literam obstringuntur; neque eas arbitrarie interpretari, earundemque sensum sive extendere, sive restringere liberum erit. Ut vero idem, ad notitiam omnium, quorum interest, eo facilius perveniat, vernacula etiam lingua in Regno, partibusque eidem adnexis sua forma publicabitur.

---

DTT1\_OGYK\_000312168\_04227076

**Fayer László**  
**Codex de delictis eorumque poenis pro**  
**tribunalibus regni Hungariae**  
**1899**



<https://go.ogyk.hu/ogy01-000312168>

A digitalizálás az Országgyűlési Könyvtár Digitalizáló Műhelyében készült a "[DTT – Magyar Jogi Portál](#)" projekt (2017) keretében.



Attribution (CC-BY-4.0)

*Nevezd meg!*